

DISPUTATIONEM THEOLOGICAM,
DE
VERA ANIMAE
ΑΝΑΠΑΥΣΕΙ,
SOLO EX EVANGELIO
EXPECTANDA,
AD MATTH. XI, 28. 29.

PRAESIDE
RECTORE H. T. MAGNIFICO,
DN. CHRISTOPH. HENRICO
ZEIBICHIO,
THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. AD OO. SS.
PRAEPOS. SENAT. ECCL. ASSESS.
ET IAM SVI ORDIN.
DECANO,
PRAECEPTORE ET PATRONO, SEMPER SVSPICIENDO,

DIE MART. cl^o l^occc XLI.
IN AVDITORIO MAIORI,
PVBLICE TVEBITVR
A V C T O R,
BENIAM. GOTTF. VVEINART,
SCHOENVVALDA - LVSAT.

VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHEFFLERIANA.

12.

a. .cxxxviii. 41.

Coll. diss. A
138, 41

DISCIPULUM THEOPHILUM
DE

VERA ANIMAE
ANIMAE PLANE
SOLO EX EVANGELIO
EXPECTANDA
AD MATTHEUM 23

PRÆSIDIS
RECTORIS H. T. MAGNIFICI
DN. CHRISTOPH. HENRICO
ZEIBICHI O.
THEOL. DOCT. ET PROF. PUBL. AD OO. 22.
PRÆPOS. SENAT. CIV. AD 22.
ET IAM S. ORDINIS
DECANO
PRÆCEPTORE ET PATRONO SEMPER INSPICIENDO



DIE MART. CL. JOSEPHI
IN AUDITORIUM MAJOREM
PUBLICE
A V C T O R
BENIAM. GOTTF. WEINART

PRÆFATIONE
EX OFFICINA SCHEFFLERIANA



PROOEMIUM.



n tanto felicitatis salutisque naufragio, quod homines in uniuersum omnes, per lapsum protoplastorum, passi sunt, hoc tamen cuique eorum remansit desiderium, quo ad felicitatis suae amissae recuperationem quaerendam instigatur. Hi instinctus naturales, ex notitiis de Deo insitis ortum trahentes, a) sicuti amorem honestorum, odium turpium, uariaque ad tranquillitatem animi facientia officia suadent, ita iidem quoque circa negle-

ctum horum officiorum, uehementem propulsae animi quietis efficiunt cupiditatem. Licet paucissimi uerbis exponant, quid optent; non difficile tamen id, ad eorum labores conatusque attendentes, cognoscemus. Hoc bonum, animi sc. tranquillitas, idcirco a multis uocatum est summum, b) mentis uoluptas, securitas, laetitia cordis, bona conscientia, &c quae CICERO alicubi miratur, *magna est, in-*quiens, *uis conscientiae in utramque partem, ut neque timeant, qui*

A 2

nihil

a) FECHTIVS, in *Comp. Theol.* p. 499. b) sc. a SIBRANDO, *Disp. de summo bono*, Sect. 2. §. 3. GASSENDO, T. II. OO. Conrado MEL, in *der Kunst der wahren Herzens-Vergnügung*, SAGITTARIO, in *Otio Ienensi*, p. 472.

nihil commiserint, et poenam semper ante oculos uersari putent, qui peccauerint, c) quibus ipsi Gentilium Philosophi adstipulantur. SENECA, d) cui talem affectum animi similem putare deberet, quaerenti, respondet: quod desideras, magnum et summum, Deoque uicinum est, non concuti. A quo alii non dissentiant. e) Nec mihi Diatura animos fecit, CAMILLVS apud Liuium gloriatur, nec exilium ademit. Is praeualebat, iuxta BOETHIVM :

*Quisquis compositus serenus aevo
Fatum sub pedibus dedit superbum,
Fortunamque luens utramque, rectus,
Inuictum poterit tenere uultum. f)*

Neque potest aliter fieri, quam, ut ipsi gentiles animi, uitaeque suae tranquillitatem desiderent, cum nemo, sana ratione praeditus, ad bonum quodcunque, quanto magis ad summum, cupiendum, non trahatur. Agnoscunt miseras huius uitae, easque potissimum ex uitiis prouenire, fatentur. *Viunt enim, non quomodo uolunt, sed quomodo coeperunt, homines. Et unus effectus uitii est, displicere sibi. g)* Hisce tandem, de misera huius uitae conditione, cogitationibus sese immiscet desiderium melioris status, desiderium animi tranquillitatis. Hinc uenit illa cura, quam Gentiles circa media, ad eam stabilem animi sedem ducentia, h) susceperunt, quibus tamen ipsi, eandem se consequi posse, diffisi sunt. De omnibus, quas commendarat SENECA, ad animi quietem perueniendi, rationibus, in fine hanc fert sententiam: *Illud scito, nihil horum satis esse ualidum, rem imbecillam seruantibus, nisi intenta et assidua cura circumeat animum labentem.* Mirandum autem non est, Gentiles hac mentis felicitate semper destitutos mansisse, siquidem nullam de ueris mediis habebant notitiam, tametsi illos utique pro infelicissimis habebant cum *Iuuenali:*

*quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, et surdo uerbere caedit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.*

Quae lex naturae suadet, minime sufficiunt. Nam per eandem quidem ad $\zeta\eta\tau\epsilon\upsilon\tau\omicron\nu\ \kappa\upsilon\tau\epsilon\iota\omicron\nu$, Act. XVII. 27. homines impelluntur, non tamen

e) Orat. pro Milon. d) de tranquill. animi c. II. e) CICERO, in paradoxis, HIPPOCRATES, p. 23. in f. edit. Francof. f) De consol. Philos. Metr. IV. g) SENECA, l. c. h) Vid. B. I. G. HEMPELLI, Diff. de animi tranquillitate, Lips. 1691. Membr. I. §. I. sq.

tamen ad gratiam, ad quam et uera animi tranquillitas pertinet, perueniunt, quae solo ex Euangelio, naturae plane incognito, deriuanda. Iste uero infelicissimus conatus, falsa pro ueris arripiendi media, utinam mansisset saltem apud eos, qui reuelatione destituti, talpa coeciores existunt. Sed, quod magis dolendum, inter ipsos, a Christo nomen ducentes, permultos deprehendimus, qui circa media ad ueram animi tranquillitatem facientia, crassissimos errant errores. Alii suadent haec, alii illa; aut hypothesebus falsis decepti, aut auctoritatibus, non rationibus, pugnantes, aut a sua ipsorum peruersa phantasia decepti. Non quidem hic omnes, et Philosophorum, et Theologorum, circa ueram ἀνάπαυσιν animae receptas sententias referre, intendimus; id tamen tacere non possumus, esse multos, et proh dolor! in Lutheranae quoque ecclesiae gremio, qui ueram animae quietem ex lege deducere satagunt, ipsius uerba Christi obli- ti, quibus omnes, peccatis oneratos, ad se uocat, utpote in quo solo ἀνάπαυσιν animae suae inuenirent, Matth. XI. 28. sq. Non leue est, de quo loquimur, argumentum. Tangit istud salutis nostrae proximum fundamentum, concernit nostram huius et illius uitae salutem. Pro- fecto, sano corpore cum sana mente composito, nihil in hac mortali uita potest esse exoptatius, iudicante sic DANNHAVERO. i) Nam, quid prodest uita, nisi tranquilla sit? Tranquillitas animae omnia terrestria bona longissime superat. Quo maius itaque hoc bonum est, id, ut consequamur, eo maius quoque nostrum debet esse studi- um. Absit uero, ut Christianus umbram pro re ipsa capiat, talia eligendo media, quae ipsum, ab eo, quod cupit, longius abducunt, ut potius non tantum debitam, sed et legitimam adhibeat operam, quam desiderat, animae quietem consequendi. Dignum itaque hoc argumentum uisum est, ut plenius deducatur; quare, bono cum Deo, nos ad hunc accinximus laborem. Felicius autem rem tra- ctari non posse, arbitrati sumus, quam, si duas constitueremus Sectio- nes, quarum altera breuem dicti sistat exegesin, altera uero ad ueram, de animae ἀνάπαυσει, Doctrinam probandam et ad sententias aduer- sariorum cognoscendas, spectaret. Faxit Deus feliciter!

i) In Theol. Consc. T. I. P. I. p. 33.

SECTIO I.
EXEGETICA.

Dictum, Matth. XI. 28. 29.

△ εὐ̄τε πρὸς με πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, καὶ γὰρ ἀναπαύσω ὑμᾶς κ. τ. λ.

Versio MAXIMI CALLIPOLITAE, Hieromonachi.
Ἐλᾶ̄τε εἰς ἐμένα ὅλοι, etc. καὶ ἐγὼ θέλω σᾶς ἀναπαύσει.

Versio VVLGATA.
Venite ad me omnes etc. et ego reficiam uos.

Versio B. SEB. SCHMIDI.
(Quare) Venite ad me etc. et ego uos refocillabo.

Versio ERASMI SCHMIDI.
Venite etc. et ego uos requiescere faciam.

Versio Gallica Ministror. Geneuensium.
Venez a moy vous tous etc. et je vous soulageray.

Versio B. LVTHERI.
Kommet her zu mir alle, die ihr mühselig und beladen seyd, ich will euch erquickten, ꝛ. ꝛ.

§. I.

Nemo facile, haec uerba ex Christi sanctissimo ore profuisse, negabit, si modo, quae eadem praecedunt, v. 25. sq. attente legerit. Paulo scilicet ante de infelicissimo statu eorum, qui per auditum, tum doctrinae suae, tum miraculorum ab se patratorum, non conuersi fuerant, uerba fecerat, eisque Vae! adnunciauerat. Tantam Iudaeorum σκληροκαρδίαν cum contristatione perpendens, gratias agit Patri suo, quod, etsi sapientibus (qui se sapientes esse, neque Christi doctrina opus habere, putabant) secundum iustitiam suam, absconderit; νηπίοις (simplici corde credentibus) tamen revelaverit mysteria sua. Et, postquam omnia idiomata diuina, a Patre, humanae suae naturae communicata esse, docuerat, omnes ad se, tanquam unicum, uerum tamen, omnis

omnis salutis, potissimum etiam quietis animae, fontem, suauissime uocat. *Venite ad me omnes etc.* O! admirabilem optimi Sopitatoris curam, Iosephina illa, Gen. XXXIX. 6. XLVII. 12. L. 21. multo praestantior! ut, cum AVGVSTINO, merito dicamus: O! tu bone Omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, tanquam solum cures, et sibi omnes, tanquam singulos. k)

§. 2.

Δεῦτε πρὸς με, prima sunt huius uocationis uerba. Graecorum aduerbium, δεῦτε, idem ualet, quod uerbum latinorum, *venite*, qui significatus etiam Io. IV. 29. Matth. XXII. 4. alibique uidere est, atque eam ob rationem, de hac uocula, ut de uerbo, loqui solemus; eaque de inuitatione cum primis solenni, in sacris occurrit, δεῦτε, οἱ εὐλογημένοι, in oppositione ad πορεύεσθε ἀπ' ἐμῆ, quum ad gaudia transeundum aeterna est, Math. XXV. 34. 41. Δεῦτε, ἴδετε τὸν τόπον, paschales deliciae sunt, Math. XXII. 6. Δεῦτε, ἴδετε ἄνθρωπον, Samaritis, ad Christum audiendum, suos excitat, Ioh. IV. 29. Conf. Apoc. XIX. 17. Plura, profanis etiam consueta, H. STEPHANI *Thef.* dabit. l) Ex eo tamen, quod suauissimus Seruator dicit: *uenite ad me*, omnino patet, quod Deus neminem ad fidem cogat, uti exinde quoque concludi nequit, hominem aliquid ad salutem suam conferre posse. Conceditur, *uenire*, actum hominis esse: sed qualesnam sunt, actus, qui in opere salutis ante fidem de homine dicuntur? Sunt uerae passionis. Deus operatur omnia, homo autem eius operationibus non repugnat, atque, Deum sese conuertere, patitur, quod egregie Magnif. PRAESES, in χωρισμῶν Paullino m) euicit. *Nemo uenit ad me, nisi traxerit eum Pater*, Io. VI. 44. Hoc uenire igitur notat absentiam resistentiae, licet interim non negetur, posse hominem, uti Augustinus primum Ambrosium quaerebat, uenire ad auditum uerbi, naturalibus uiribus, ex quo denique fides est. n) Admirandum itaque hoc credentium uenire omnino manet; Deus eos namque non saltim uenire sinit, sed plane uenire facit, quorsum diuini tractus et funes, Ier. XXX. 3. Io. VI. 44. Os. XI. 4. asportare diuinum, Exod. XIX. 4. Deut. I. 31. XXXII. 11. adducere Dei, Deut. XXVI. 9. XXX. 5. illud denique accersere

k) L. III. Confess. c. IX. l) *Append. p. 722, b.* m) *Disp. II. Moment. VII.* n) *uid. CALOVIUS, in Bibl. III. ad b. l.*

accersere diuinum, Deut. XXX. 4. Ps. XIIX. 17. LXVIII. 23. Ier. III. 14. omnino spectat.

§. 3. Nondum uero circa hoc uerbum omnis est remota difficultas. Venire respicit uiam; qua igitur uia uenitur ad Christum? Recte quidem respondet AVGVSTINVS, o) *si credis, uenis; et alibi: Venire ad Christum est, credere in Christum; p)* et cum eo OLEARIVS: q) *uenire ad Christum est recipiendo eidem uniri per saluificam fiduciam.* Ne dicam, et GROTIUM hic alienum non esse: *Sequitur: ὁ πιστεύων etc. ut appareat, uenire, esse credere.* r) *Recedunt a Deo, minime credentes, cum Caino, Gen. IV. 16. Post alium festinantes, Ps. XIV. 4. alium sequentes, Io. X. 4. Cordibus suis a Domino recedentes, Ier. XVII. 5. Fide contra ad Christum uenientes, non eiiciuntur, Io. VI. 37. A Domino non recedunt, Ps. LXXX. 19. eunt sitibundi ad aquas, Es. LV. 1. sat aliquis degustatis, redeunt, a quo recesserant, ad Patrem, Luc. XV. 16. 18. ut gloriari in Domino queant: Non retrocessit retro cor nostrum! Ps. XLIV. 19. Sciunt namque, elongatos a Deo, perire, Ps. LXXIII. 27. Conf. Ps. XXC. 19. Es. I. 4. XLI. 10. Ier. II. 36. XVII. 5. Sed, cum et fides non cuiusuis sit, 2. Thess. III. 2. dubium adhuc remanet, unde illa saluifica fiducia sit? Id tollitur, quando perpendimus, quod in Scriptura S. saepe, per uiam, doctrina, qua ad aliquid ducimur, cum effectu imprimis operans, intelligatur. *Via Dei, quam Christus uere docebat, Marc. XII. 14. est doctrina ad Deum ducens.* Veniebat Ioannes ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης, cum doctrina iustitiae, Math. XXI. 32. Hinc ὁδὸς εἰρήνης, Rom. III. 17. nihil est aliud, quam doctrina, ad pacem ducens. Quando itaque h. l. Christus dicit: *uenite ad me omnes, id uult, ut omnes doctrinam de se et a se, sibi salutarem, amplectantur.* Videmus autem in hac uocatione Christi simul impletum, quod Zacharias de ipso uaticinatus erat, quod *directurus sit pedes nostros eis ὁδὸν εἰρήνης, ad doctrinam, qua ad pacem peruenimus, Luc. I. 79.* Haec doctrina Christi, siue Euangelium, deinde operatur fidem, et sic omnino etiam uerum est, quod, si credimus, *ueniamus.* Quo facto Christus ipse nobis uia fit ad patrem, Io. XIV. 6. Hebr. X. 19. 20. s) Ceterum piis quorundam*

o) ad Ps. XLV. p) L. ad Bonif. c. III. q) in contin. Isag. B. Carpzouii: p. 1238. r) uid. CALOVI Bibl. Illustr. ad h. l. p. 282. s) quomodo Christus uia fit ad patrem, declarat GLASSIUS, in Philol. S. p. 1726.

rundam meditationibus non prorsus refragamur, quum *uenire* hoc nostrum, modo cum locutione Dei ad Abrahamum : התהלך לפני, a qua non differat, fide omnino supposita, comparant, cum GVSSE-TIO; t) modo ad atrium Iudaeorum, quod עזרה ab *auxilio*, precibus ibi suis quaesito, ad quod turmatim *uenissent* et confluxissent, alludi, existimant, cui Christus, in cuius nomine nunc, multo minori cum molestia, orarent, se opponeret; licet cum *auxilio* sequens statim ἀνάπαυσις, laborantibus quippe et onustis rectius conueniens, non adeo conspiret. u) Multo scilicet nunc suauius, quam in umbratilibus illis et difficilibus, ad Deum *uenire* licebat, quod uociferando, procumbendo, se cultris et lanceis incidendo, Baalitae expeditare uolebant, 1. Reg. XIIX. 26. 28. Ad Christum, qui *uenit*, eumque, qui *fide* apprehendit, huic agere triumphos omnino licet: Cum Deo faciemus robur; ille conculcabit hostes nostros, Ps. LX. 14.

§. IV.

Notanter autem Christus OMNES ad se uocat. Eo enim excludit omnem aliam doctrinam, quae sua non est, et omnes alios mediatores. Christi doctrina est, quae recte in omnibus et secundum Scripturam s. sentit. Videant igitur, qui passim ab hac doctrina recedunt, Calvino-Reformati, Pontificii aliique, qua ratione pacem consequi possint atque salutem, cum fontes, ex quibus, promanat, reddant turbidos, ut uix ad consolationem suam quidquam possint haurire. Valeant alii mediatores, Maria atque omnes Sancti, quibus, in opere saluationis, nullum tribuendum meritum. Hoc enim, si licitum esset, Christus homines ad eos ablegaturus fuisset. Sed, omnes ad se uocat solum, in quo sint inuenturi tranquillitatem animae aeternaque salutem.

§. V.

Progredimur ad uocationis Christi obiectum, quod πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι sunt. De excellentia sua Seruator antea fuerat locutus, π. 27. nihilo tamen minus nullius miserorum hominum dememinisse potest. Maiestatem suam explicauit, ALOYSIUS NOVARIIVS hic commentatur, non, ut timorem incuteret, sed, ut amorem inbalaret et prouiores eos (homines) ad parendum redderet, et alacriores (w). Negandum quidem non est, uocem πᾶς interdum in Scriptura s. distributue sumi, quod tamen b. l. fieri nequit. Obstat enim

B

enim

t) Comment. L. Hebr. p. 211. u) Vid. St. le MOYNE, in Not. et Observat. ad var. Sacr. T. II. p. 72. w) in Matthaeo expenso, p. 260.

enim potissimum praedicatum κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι. Si uerum est, quod omnes homines sint laborantes peccatisque onerati, sequitur, quod nemo in uocatione hac debeat excludi. A. uerum est prius, E. et posterius. Prioris ueritas constat, ex Rom. II. 9. V. 12. sq. Gal. III. 22. Hinc, quicquid IO. van TIL, cum sociis, *de electis ex uulgo Iudaeorum, amplius uocandis*, ineptiat x), omnino uocula πάντες sumenda est *collectiue*, s. de omnium generum hominibus singulis, quibus ἀνάπαυσις est necessaria, Es. LIII. 4. II. quos CHRYSOSTOMVS πάντας τὰς ἐν φροντίσιν, τὰς ἐν λύπαις, τὰς ἐν ἀμαρτίαις, qui omnes in curis, doloribus et peccatis uexentur, uocat y). Πάντες ἄνθρωποι, διὰ τὴν τῆς ἀμαρτίας φύσιν κοπιῶντες - - καλεῖνται ἐπὶ τὴν παρὰ τῷ λόγῳ τῆ Θεῶ ἀνάπαυσιν, OMNES homines, ob innatam ad peccandum procliuuitatem laborantes - - uocantur a uerbo Dei ad quietem capessendam, ORIGENES hic commentatur, z). Neque, propter repugnantiam multorum, hic debet concipi exceptio, siquidem haec Christi uerba non tam de refocillationis actu, quam de benefica refocillandi uoluntate, ueniunt intelligenda a). Uocat omnes, non tantum electos, licet multi uenire renuant b). At hic uerus Scripturae sensus Caluino-Reformatis minime arridet, quippe qui τὸ πᾶς, per omnis generis homines, *distributiue* explicant. c) Falluntur autem maxime, siquidem in oraculo nostro suae opinioni plane nullum inueniunt fundamentum; nostra contra sententia in eo fundatur, aliisque simul dictis Scripturae s. confirmatur. Alle, alle, Leuini de *Schulenburg* solatium erat ex hoc oraculo, *da schliesß ich mich auch mit ein, und lasse mich nicht ausschließen, kehre mich nicht an den Streit von der Versöhnung, oder an die, so die allgemeine Verheißungen allein auf etliche uwenige Personen ziehen wollen* d). Cum HIERONYMO e) hic sentimus: *Et de Hierosolymis, et de Britannia, aqua-*

x) In Euangelio Matthaei, durch furchtbündige Anmerkungen eröffnet, p. 452. y) Homil. XXXVIII in Matth. p. 259. z) contra Celsum, p. 150. quorum plane concinit CHRYSOSTOMVS: ἕχ ὁ δεινὰ, καὶ ὁ δεινὰ, ἀλλὰ πάντες, Homil. XXXVIII. in Matth. p. 259 a) uid. IO GERHARDI Annot. posth. ad b. l. b) CALOVIUS l. c. ad b. l. c) Quas hic difficultates CALVINVS, in arcano suo electionis fonte inueniat, dum per omnes saltem eos intelligit, quos Christus idoneos sibi fore discipulos, agnosceret, quamque hic illos excludat, qui, se perire non sentiant, uid. in Eius HARMON. ex tribus Euangelist. composita, p. 170. sq. d) Ex SACCI Concion. Fun. WENCESL. BERGMANNVS Trem Mort. Hor. P. I. p. 345. sq. Conf. B. SCHROEERVS, de Gratia Dei Vniuers. contra Reform. Ao. 1713. e) ad Paulinum.

aequaliter aula coelestis patet. APVLEIVS circa alia uersatur, non insipienter dicens: Non ubi prognatus, sed, ut moratus quisque sit, spectandum: nec qua regione, sed qua ratione uitam uinere inierit f). Ceterum egregia est atque digna, quae huc notetur, de hac uoce regula FLACII: OMNIS, in concionibus legalibus et promissionibus Euangelicis omnino debet uniuersaliter accipi. Ratio est, quia alioquin conscientia et fides non possunt syllogismum in prima figura formare, cuius maior, ut semper uniuersalis sit, necesse est &c. g). Solemus enim in solatium nostrum ita concludere: Omnes homines ad salutem inuitantur, A ego homo sum, E. etiam inuitor. Deinde, praeunte iterum FLACIO, l.c. Omnes credentes saluabuntur, seu: Quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit: Ego credo et inuoco: Igitur saluus ero. Quemadmodum uero maximum exinde in corde exoritur solatium: ita e contrario nullus homo in hoc terrarum orbe ueram poterit habere consolationem ex particularismo illo, quem fingunt Caluino - Reformati.

§. VI.

Omnes itaque homines sunt obiectum huius inuitationis, qui emphatice a Christo uocantur *κοπιῶντες*, laborantes; non soli Iudaei, uti CLERICVS opinatur, h) ad molesta et frequentia speciatim Festiualia itinera respiciens, cuius nunc molestiae finis sit, Io. IV. 21. Pronus etiam ad Iudaeos hic, ex Theophylacto, THEOPHANES est, *ὡς παρατηρήματα νομικὰ βαρέα μετερχομένους*, in grauius legis traditionibus occupatos, hic, pro laborantibus, ponens. i) Inclinat huc etiam THEOPH. AMELIUS (k). In Clerici, quammodo dixi, interpretationem mire inuehitur Anonymus Anglus. l) *κοπιῶν* significat laborare cum difficultate, s. fatigari. Descendit enim a *κόπτω*, leco, caedo, quod quidem manu fieri solet. Transfertur deinde hic significatus ad actionem admodum difficilem atque defatigantem, tum corporis solum, ut Io. IV. 6. *defatigatus ex itinere*; Luc. V. 5. tum mentis simul, ut I Tim. V. 17. *laborare in uerbo*, in docendo uerbo, defatigari, Col. I. 29 atque h. l. Labor autem, qui hic innuitur, ex inquietudine cordis originem habet, consistitque

B 2

non

f) Plura PRICAEVS dabit, in *Var N T. Libros*, p. 598. g) in *Clauē Scr. S.* sub uoce: Omnis, col. 802. h) ad *Hammondi N. T.* p. 853. i) *Homil. LIV* p. 367. k) *Erklaerung der Schrift-Stellen N. T.* p. 50. sq. l) in *Hammondi Paraphras. et Annotat. ab Obseru. Clerici uindicatis*, Lond. 1699. p. 35. sq.

non tantum in anxietate, terrore, et molestissimo cordis dolore, sed etiam in tali defatigatione, quae corpus simul afficit, Ps. XXXVIII. 3. sq. *Laborant peccatores, in iniquitatibus, quaerunt pacem, neque eandem inueniunt, donec ad Christum ueniunt, cui peccatis suis laborem fecerunt atque defatigationem, iniquitatibus suis*, Es. XLIII. 24. LIII. II. Quam conspirent, respectu τῶν κοπιῶντων, Patres, *Basilius* uterque, Caesariensis et Seleucensis, inprimis uero *Chrysostomus*, apud SVICERVM uide. m) Omnium namque minime Nouatorum quorundam *luctae poenitentiali, contritionali illi, ante fidem, aut angustiae dubitantium*, ne de termino adhuc duriori dicam, in hoc nostro dicto, ad quod tamen prouocant simul, feruntur suppetiae. Non in lapsis perseverantibus, sed in stantibus, *Spiritus luctatur contra carnem*, Gal. V. II. *Luctantur iidem, angustam ingressuri portam*, Luc. XIII. 24. poenitentiae quotidianae merito studiosi, cruce ceteroquin *pressi* uarieque tentati, quae BVRGMANNVS pluribus deduxit. n)

§. VII.

Vocabulum, *πεφορτισμένοι*, spirat etiam locutionem metaphoricam, *φορτίζω* enim est a *φέρω*, porto. Sicut itaque quis graue aliquod onus fert, ita peccatores quoque molestissimo sub onere sunt constituti. Premuntur, tum onere legis, tum peccatorum, et non raro in sacris comparationem peccatorum cum onere deprehendes. *Paulus*, 2. Tim. III. 6. foeminarum *σεσωρευμένων ἀμαρτίας*, oneratarum peccatis, mentionem iniicit. *Dauides* de grauitate peccatorum, tanquam oneris, nimium difficilis, conqueritur, Ps. XXXVIII. 5. Conf. Es. LIII. 4. Legem onus esse, patet ex Act. XV. 10. Ies. IX. 4. Zeph. III. 18. *ἀβάστακτον* scilicet, dum impleri ea non poterat, et transgressoribus tamen continuo maledicebat. Respicit uero simul Saluator ad onus traditionum, de quo loquitur, Matth. XXIII. 4. quo conscientiae multorum constrietae erant; paucis uero, ad eos, quos *esurientium* et *sitientium* nomine alibi describit, Matth. V. 6. Io. VI. 37. quorum quilibet *ψυχὴ ἢ λυπημένη ἐπὶ τὸ μέγεθος, ὁ βαδίζει κύπτου καὶ ἀδενῆν, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ οἱ ἐκλείποντες καὶ ἡ ψυχὴ ἢ πεινώσα*, anima tristis facta super magnitudinem, quae uadit incurua et infirma, et oculi, qui deficiunt, et anima esuriens, merito uocabatur, Baruch. II. 18.

§. VIII.

m) *Thesaur. Eccles. Tom. II. p. 145. sq.* n) *Abhandlung von Bus-*
Kampffe, §. IV. seq.

§. VIII.

His laborantibus et oneratis, Christus acclamat: καὶ γὰρ ἀναπαύσω ὑμᾶς. LUTHERVS reddidit haec: Ich will euch erquicken, omiffa uocula καὶ. Quid τὸ καὶ hic significet, inter Criticos lis est. Sunt, qui, cum VORSTIO, id παρέλκειν dicunt. An autem sic, debita cum reuerentia, Scriptura s. tractetur, ualde debito. Alii consecutionem eo innui putant, quod adhuc posset concedi. Rectius autem putamus, eam particulam, per latinorum aduerbium, profecto, uertendam esse, siquidem hic significatus in Scriptura s. est frequentissimus. o) Versio interim LVTHERI sensui non est contraria. Quod uero ad uocem, ἀναπαύσω, attinet, ea est composita ex ἀνά et πάω, cesso, requiescere facio. Cum autem ἀνά, in compositione, et iterationem, et eleuationem notet, saepiusque significatum uocis auget, utramque hic rationem locum inuenire, arbitramur, ita, ut debeat reddi, per uere reficere, optime recreare. Eo enim habetur respectus ad istum felicem tranquillitatis statum, ex quo homines per lapsum ceciderant, in quem nunc iterum, per Christum, sint uenturi, atque optimam ueramque animae ἀνάπαυσιν consecuturi. Christus, ubi aduenit, fide receptus, ubi loquitur, ubi hostibus minatur, ibi fit tranquillitas magna, Matth. VIII. 26. Πλήρης hic χάριτος, Io. I. 18. ubi apparet, ibi χάρις σωτήριος τοῦ Θεοῦ, Tit. II. 11. in credentibus dominatur; ibi πάντων ἡμῶν ἄριστος ἀγαθῶν, omnium nobis causa bonorum, loquente sic CLEM. ALEXANDRINO; p). Ibi ἡμεῖς praesentissimus ille nobis Deus, in quietis saluberrimae possessione dominatur, quem rectius, quam Eunapius praestigiato-rem pessimum, Apollonium Tyanaeum, ἐπιδημίαν εἰς ἀνθρώπους Θεοῦ, aduentum Dei ad homines, pie uocamus. Ne autem cui mirum uideatur, quod uerbo ἀναπαύσω causandi uim adscribamus, sciat, hoc Graecis usitatissimum esse, uti demonstraui Cl. GEORGI. q)

§. IX.

Quod autem Christus dicit: ἐγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς, eo testatur de sua, tum uoluntate, tum potentia tranquillandi. Parum efficiunt, qui pro Versione Lutheri, ich will euch erquicken, substituunt: ich will euch in Ruhe stellen; r) emendasse enim, etiam sine ratione,

B 3

Luthe.

o) Locos, ubi καὶ, PROFECTO, notat, excitauit Cl. GEORGI, in Vind. N. T. p. 161. sq. p) Protrept. ad gent. v. 4 sq. q) ib. p. 318. r) uid. AVCTOR der Vatersuchung ertlicher Oerter N. T. p. 288.

Lutherum, multis hodie gloriosum est, qui, pro elegantia suae uersionis, h. l. dum v. 27. statim sequitur, *Rube finden*, ingrata repetitione uoluit supersedere. Quaesierant Iudaei varias uias, ut inuenirent pacem, nec tamen eandem consecuti erant. Hinc sese unicum, omnibusque patentem quietis fontem esse, dicit, *ego certe uos reficiam*. Est enim *pax nostra*, Eph. II. 14. *pacisque princeps*, Es. IX. 6. in quo solo *omnis salus* hominibus *data est*, Act. IV. 12. *peccatorum remissionis* auctor et dator, Math. IX. diuina potestate, ex v. 27. antecedente, instructus. In hoc suauissime, uti post *exantlatos labores*, in secessu et loco quietiori, Marc. VI. 31. uti in *statiuis*, post molesta itinera, militibus, secundum *Polybium* et *Arrianum*, s) ἀναπαύειν, quiescere datur. Ita quiescentes, sancta saltem et Deo conuenientia meditantur, non uero, cum *Mich. Molinoso*, aliis iniungunt, ut, si cui reueletur, Deum ipsum *absolute damnare uelle* (quod opinari de Deo impium) uoluntati huic diuinae ille, etiam usque ad damnationem, se resignet. t) Ceterum, uox ὑμᾶς obiectum particulare esse, rem non conficit. Posito enim, quod sermo Christi saltem ad praesentes directus fuerit; non tamen sequitur, in tanta congregatione omnes fuisse electos. Iesus loquebatur τοῖς ὄχλοις, u. 7. *ad populos*, ad Iudaeos, ibi comparentes, qui, maxima ex parte, fuerunt increduli, quos tamen clementissime uocat, neque ipsis, si uenirent, suum se denegaturum esse auxilium, asserit.

§. X.

Deuenimus nunc ad phrasin: ἀρατε τὸν ζυγὸν μᾶ. *Iugum* esse instrumentum, quod bobus imponitur, et cuius ope, aut aratro, aut curru iunguntur, neminem fugit; at per iugum quoque *doctrinam* interdum in Scriptura s. notari, patet ex Ier. V. 5. Pl. II. 3. Quem significatum et h. l. cum GLASSIO, u) agnoscimus, quia in primis additur: *et discite*. Sed non solum doctrinam Euangelicam notat, includuntur enim simul *castigationes* atque *afflictiones*, Ier. II. 20. Euangelium est uerbum *lucis* et *crucis*, 1. Cor. I. 18. Non dissentunt a nobis, qui hanc locutionem per, alicuius disciplinae se subiicere, explicant w). Vnum idemque nobiscum dicunt, modo non, cum

s) *Loca studiose, pro more, ex POLYBIO et ARRIANO, G. RAPHELIUS collegit, Annot. Philol. in N. T. ex Polyb. et Arrian. p. 65. sq.* t) FECHTI *Sylog. Disp. XVIII., p. 248.* v) *Philol. S. p. 1777.* w) *MVSAEVUS, in Comment. ad b. l.*

cum GROTIUS, solum doctrinam atque mandata uelint intellecta, quem ideo CALOVIUS merito reprehendit. x) *Tria*, inquit GLASSIUS, y) *his uerbis Christus docet, nempe 1) fidem ex Euangelio haustam, 2) uitam piam, Christi uitae conformem, in humilitate atque mansuetudine etc. 3) denique patientiam et constantiam in toleranda cruce. Ita qui affecti sunt, inueniunt requiem. Licet autem pia uita et patientia in dicto nostro requirantur; non tamen requiruntur, ut causae tranquillitatis animae, sed ut probationes fidei, in quibus illa acquiritur ac conseruatur. Ipsa fides uero recipit iugum, quod Christus uocat suum, ad denotandum, quod ex solo Euangelio ἀνάπαυσις animae sit, contradistincto legi, iugo importabili, Matth. XXIII. 4. et, quod in cruce se habuerint praeeuntem, quorum nonnulli quondam in Patribus suis, uel grauius, Rehoboamī iugum, assumsissent, 2.Reg. XII. 25. Tollite iugum meum, commentatur hic NOVARINUS, signate MEVM, nam aliud quodlibet excutiendum est. z) Saeuiant malitiosi: ἀπορέψωμεν αἰφ' ἡμῶν τὸν ζυγὸν αὐτῶν, excutiamus iugum eorum, Ps. II. 3. Euangelio obediētes, certe a PINDARO se superari, minime patiuntur, qui grauius alicubi pronunciat: Ferre, leniter super humeros acceptum IV. GVM, prodest. a)*

§. XI.

Ex iis, quae adduntur, καὶ μάθετε etc. clarior redditur sensus dictorum. Exhibet se Christus, ut doctorem catholicum, qualis quidem esse debebat, in oppositione ad Mosen. Hic, uti omnes legibus obligat, maledictionibusque illarum terret; ita Christus laetiora docet omnes, quotquot illius lege constricti tenentur. Allusisse hic eum ad Iudaeorum illud iugum regni coelorum, quod Angeli quoque susciperent, LVD. CAPELLVS, ex eorum Machazor et Masseth Berachoth, docere nititur. b) Sub huius saltem iugo, dulcis habetur requies, quam apud Sanctos quaesueris frustra, si uel ad ANNAM, celebratam illam sanctissimae Matris matrem, confugere, eius meritis confidere, et nouies per diem orans: Beatus, qui Mariam portauit, uterus etc. peccatorum remissionem sperare, imo, quod

x) in Bibl Illustr. ad h. l. y) l. c. p. 1778. z) in Matthaeo expensc, p. 260 it. CALOVIUS, l. c. a) Pyth. B. u. 172. Conf. ELSNERI Obseruatt. Sacr. T. I. p. 60. sq. et, qui de iugo speciatim Iudaico prolixè commentatur, THEOPH. AMELIUS in der. Eroerter. der Schrift Stellen. N. T. p. 514. sq. b) in Spicilegio, post Messcm p. 21.

quod propudiose scribunt, nostrum etiam hoc dictum: *Venite ad me omnes etc. Annae* s. applicare uelles. c) Veram capturi quietem, columbulae Noachicae instar, ad Christum confugimus, ne, quod de illa, alias dicatur: *ἔχ' εὐρῆσα ἢ περισσεὺν ἀνάπαυσιν τοῖς ποσὶν αὐτοῖς*, Gen. IX. 9. quod elegantissime Euangelistam in hunc nostrum transtulisse locum, in quo Seruator, מנוח noster, emineat, et, quorsum illud, *reuertere anima mea למנוחיך* ad requiem tuam, Pl. CXVI. 7. quoque spectet, IO. FR. HÖMBERGIO dicitur. d) Non itaque est, ut quis tranquillitatis nostrae auctorem reformidet, eam enim ob rationem, pergit in oraculo nostro: *ὅτι πρῶτος εἰμι etc. nam ego sum mansuetus et humilis corde.* Particulam *ὅτι*, cum B. LVTHERIO, coniunctionis Latinae *causalis* significationem habere, putamus, licet multi per, *quod, dass*, uertendam esse, arbitrati sint. Videtur enim prior significatus magis textui conueniens. Locutus erat proxime ante dictum nostrum Seruator de sua omnipotentia, atque generatim de sua diuina maiestate. Ne igitur mortales, timore potentiae percussi, accedere renuant, affirmat, se etiam esse mansuetum atque humilem. e) Mansuetudo eius in eo se exercit, quia crimina laesae suae maiestatis, in accedentibus, non ulciscitur, sed potius iniurias, sibi ab iisdem illatas, obliuiscitur. Humilis est, dum ipsum se *humilianit*, 2. Cor. XI. 7. Phil. II. 8. atque humiliter cum hominibus agit. Pharisaei quidem etiam humiles haberi cupiebant, sed eorum humilitas erat *hypocritica*. Christus autem humilis est *τῇ καρδίᾳ, corde, i. e. interne et uere.*

§. XII.

Καὶ εὐρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν. Particulam *καὶ*, cum IO. VORSTIO, BEZA aliisque, abundare non credimus, sed eam potius emphatice hic poni, atque, TVNC, denotare, arbitramur. Non enim desunt huius significatus exempla, ut Cl. GEORGI demonstrauit. f) Quem sensum etiam in B. LVTHERI uersione, germanica uox, *so*, inuoluit, quique ex contextu uerus esse, deprehenditur.

Voca-

c) Vid. das Anna-Büchel, Vienn. 1700. p. 4. 8. 16. inpr. p. 22. d) Parerg. Sacr. p. 52. e) *Quomodo πρῶτος h. l. εὐπρόσιτον, ad quem facilis sit aditus, notet, adeoque cum δεῦτε πρὸς με, quod antecedit, bene conueniat*, IO. ALBERTI docet, *Observatt. Philol. in S.N.F. libros, p. 89.* f) in Vind. N.T. p. 163.

Vocauerat Christus omnes peccatores, ipsisque promiserat refectio-
nem. Ostenderat etiam medium, nempe uerbum suum s. Euangeli-
um, quod amplecti deberent. Hoc igitur dum fecissent, TVNC ef-
fent reperturi ἀνάπαυσιν, quod uerum illud ἀναπαύειν τὰ σπλάγ-
χνα est, Philem. u. 20. g). In huius uocis natales, ut copiose in-
quiramus, necesse non est. Descendit enim ab ἀναπαύω, cuius expli-
cationem uide §. 8. notatque, ui originis suae, quietem restauratam,
sed, ueram tamen optimamque, ut ita quiescentes, futuram aliquan-
do quietem læti iam tum praesumant, Ps. XCV. 11. Ebr. IV. 19. atque
adeo ER. SCHMIDIVS ἀνάπαυσιν *ciuilem* et ad hanc uitam, tum ue-
ro et *spiritualem* atque ad aeternam uitam pertinentem, iam tum
agnouerit (h). Non male BOETIVS:

Huc omnes pariter uenite capti,
Quos fallax ligat improbos catenis,
Terrenas habitans libido mentes.
Hic erit uobis requies laborum,
Hic portus, placida manens quiete. i)

§. XIII.

Subiectum QVO huius ἀναπαύσεως, non est Spiritus, s. tertia
essentialis pars hominis, quam fingunt Fanatici. Hanc enim non
dari, sufficienter cum aliis, docuit B. WERNSDORFFIVS: k) Sed
est Spiritus ille hominis, qui communiter, atque in oraculo nostro
etiam, ἡ ψυχὴ uocatur. In hac quaerenda est sedes, et inquietudi-
nis, et quietis a Christo datae, de quo uid. infra Sect. II. §. 9. sq.

§. XIV.

Ceterum eadem uerba, tempore uerbi saltem mutato, depre-
hendimus, Ier. VI. 16. ad quae Christum respexisse, prae se fert simi-
litudinem. Minime autem id probare possemus ex Versione LXX.
senum. Hi enim Hebraea uerba: וְיָמְצְאוּ מְרוּעַת לְנַפְשֵׁיכֶם, et in-
uenite requiem animae uestrae, graece ita reddiderunt: εὐρήσετε
ἀγιασμόν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν. In quibus eum errorem animaduer-
tes, quo uocem מְרוּעַת per ἀγιασμόν reddidere; cum tamen ea, a
מְרוּעַת, quietus fuit descendens, ἀνάπαυσιν, quietem significet. Conf.
Ier. XXVIII. 13. Quae ad Harmoniam utriusque dicti spectant, legan-
tur

C

g) IO. PRICAEI, *Comment. in Var. N. T. Libb. p. 911.* h) *Versio Not. et A-*
nimaduers. in N. T. p. 191. i) *Plura apud IO. PRICAEVM, l. c. p. 86.*
k) *in Diss. de Spiritu, teste fidelium interno, §. XIV. sq.*

itur apud WOCKENIVM l). Sicuti uero Euangelistae atque Apostoli errores uersionis graecae non sequuntur, sed uerum scripturae V. T. sensum: ita etiam hic Matthaeus adhibuit uocem, quae hebraicum nomen, quoad sensum, exprimit atque requiem denotat.

§. XV.

Possent adhuc homines a receptione Euangelii Christi deterre-
ri, propterea, quia *iugum* esset; hinc Seruator tandem iugum su-
um ipsis a suauitate atque leuitate commendat: τὸ γὰρ ζυγὸν μεκ.τ.λ.
Verborum sensus clarus est, modo ad suauitatem *iugi* Christi atque
ad leuitatem oneris eiusdem attendatur. Hic distinguit ea, quae su-
pra in uoce *iugi* coniunctim innuerat, nempe doctrinam, et quae
propter eam, partim facienda, partim patienda sunt. Doctrinam
suam *suauem* esse affirmat, quia non est legis onus, Act. XV. 10. ne-
que incredibilis numerus traditionum; Matth. XXIII. 4. Sed conti-
net potius in se gratissimas promissiones, 2 Cor. IV. 17. Rom. VIII. 28.
adnunciat remissionem peccatorum, offert pacem, nihilque, nisi fi-
dem, poscit. Quae singula, cum in Euangelio inueniantur, atque
in se sint suauia et exoptabilia, non potest non ipsum Euangelium
suauem esse. *Benigna* sc. et *mitia* χησὸν hocce eloquitur, uti χησοί,
clementes sic domini sunt, Eph. IV. 32. et profani quoque χησὸν
πατέρα, χησὸν καίσαρα, χησὸν βασιλέα, cum *Herodiano*, *Plutar-
cho*, *Philostrato*, afferre solent m). Bene AVGVSTINVS: *Quic-
quid DIFFICILE est in praeecepto, LEUE est amanti.* n) Percipiunt
hos fructus credentes. Fides autem eorum, dum uiuunt, ingenua
non esset, si operibus destitueretur; hinc opus est, ut ipsi etiam
Euangelio digni ambulent. Ad talem uitam pertinet studium sancti-
tatis atque perpeffio crucis. Vtrumque tamen regeneris est φορτίον
ἁλαφρόν, onus leue. Primum quidem, quia Christus uires largi-
tur, atque in eisdem efficaciter operatur, donans *uolle* et *perficere*
Phil. II. 13. l. 29. nec non, quia gratuitae promissiones, bona ope-
rantibus, datae sunt, 2 Cor. IV. 17. Alterum uero, sc. onus crucis
leue est, 1) propter Christum auxiliantem et praecedentem, Matth.

XVI.

l) in *Harmonia V. et N. T.* p. 498 sq. m) *Loca* ELSNERVS dabit, *Observa.*
T. I. p. 61. sq. Conf. ALEX. MORVS, apud quem de labore, non grauante,
iugo dulci, onere cum laetitia lato, ζυγῶ χήριτος etc. plura inuenies.
Nott. ad quadam loca N. Foed. p. 54 sq. *Varia* Iudaeorum Iuga, proluxe
SCHOETTGENIVS, recenset, in *Hor. Hebr. Talmud.* p. 115. sq. vid. etiam
PRICAEVS, l. c. p. 86. n) in *Pf. LXVII.*

XVI. 24. Rom. VIII. 17. 2) propter Deum moderantem, I Cor. X. 13. 3) propter eundem remunerantem, Marc. VIII. 34. Luc. IX. 13. unde et pii gloriantur in tribulatione, Rom. V. 3. et sub ea gaudent, Col. I. 24. o) Pulcre HVNNIVS: *Quemadmodum Christus ab illis, qui ad se veniunt, intolerabilem illam sarcinam peccatorum aufert et in suos humeros reiicit; ita exoptatissima permutatione iugum et onus aliud, quod commodum et leue sit, imponit.* p)

SECTIO II. DOGMATICO - POLEMICA.

§. I.

Ex iis, quae in praecedente Sectione dicta sunt, iam satis constabit, quod hic plane de alia, quam quidem philosophica tranquillitate animae, disquiratur. Haec enim, sicut in immunitate a taedio, ex malis actionibus oriundo, consistit, ita ad eandem consequendam non aliena, sed propria iustitia requiritur. Non sufficit, qualiscunque impletio legis naturalis, sed exacta atque plenaria, siquidem homo alias tantum ex parte esset immunis a taedio, transgressoribus legis destinato, quo in casu etiam tranquillitas posset minime vera dici. An autem eiusmodi animae quies ab ullo mortalium, quorum omnes animae vires maxime debilitatas esse, scimus, possit obtineri, dubitavit *Thomasius*, q) aliique. Nec in his ipsis sumus contrarii. Plus enim et hic requiritur, quam nobis praestare possibile est. Ipsius naturae ius nobis tam varia et tam multa proponit officia, tum erga Deum, tum erga nosmetipsos et proximum, ut vix omnia sciamus, nedum praestemus. Obstat, tum intellectus, tum voluntatis imperfectio, quod, paullo diligentius mentem attendentes, facile animadvertent. Veram quidem de Deo notitiam naturalem concedimus, non tamen ad consequendam animae requiem sufficientem, quicquid oggannianæ *Fridlibius*, *Dippelius*, *Caluiniani*. Voluntas nostra natura fertur in amorem Creatoris; sed, quomodo

C 2

potis.

p) IO. GERHARD. l.c. p) vid. CALOVIVS, l.c. q) Vid. SIBRANDI *Disp. de S. B. tam Thomae, quam aliis viribus humanis haud obtinendo, neque dabili, Sect. II. §. 5. Rost. 1708.*

potissimum coli debeat, ex ratione non constat. Neque ex ea cognoscitur, qua ratione Deus iratus sit placandus, cum tamen quotidie aduersus eum atque contra naturae leges peccari, intelligatur. Modum itaque, quo, inter tot imperfectiones, tranquillitas philosophica possit obtineri, nescio. Sapienter Cicero dicit: *Non potest tranquille uiui, nisi sapienter, honeste iusteque uiuatur.* Minima enim legis transgressio nos ex tranquillitatis statu, in infelicissimam illam conditionem coniicit, in qua conscientiae morsus omnem animae quietem tollunt.

§. II.

Neque hic agitur de quiete Fanatica, quae hominem in ecstasi, s. contemplatione constitutum, nihil plane sentientem, sed ab omni operatione, sensibus perficienda, cessantem, pronunciat. Talis est potissimum *Molinosti* oratio quietis, unde et sectatores illius nomen *Quietistarum* sortiti sunt. Descriptionem huius quietis atque eiusdem simul refutationem inuenies in ACTIS ERVDITORVM. r) Huc spectat quoque POIRETI animae adquietentia in fundo suo, in qua ipsius mentis facultates, plane non agunt. s) Eandem quietem fanaticam spirant uerba, quae in Libro cantionum coetus *Herrnhutensis* leguntur, ubi de Deo ita illi canunt: *Der sich nur zu erfahren giebet, wenn Aug und Sinne stille stehn* t) *it. Mach endlich des vielen Zerstreuens ein Ende, o! Seele, und fehr dich einmahl in die Stille.* u) Cum autem haec quies fanatica non tantum sit contra Scripturam s. sed et, dum omnem ab intellectu imaginationem remouet, in se impossibilis, eam hominibus, phantasia, nisi ratione, destitutis, relinquimus.

§. III.

Quam etiam homines securi iactant animae ἀνάπαυσις, eam hic non uolumus intellectam. Gaudent hac putatiua quiete maximi saepe peccatores, qui stimulos conscientiae non sentiunt, sed, ea dormiente, sese a malefactis non inquietari, clamant. Late, proh dolor! etiam hoc malum serpit, atque sub specie tranquillitatis, animam occupat. Falsam uero hanc animae requiem esse, quis est, qui

r) *Mens. Ian. An. 1717. p. 22. Conf. M. Io. Günthers Disp. de religione Quietistarum, sub D. IO. Ben. Carpzouio, Lips. 1717. hab. Cap. II. p. 19. sq.*
 s) *Oeconom. Lib. V. p. 413. t) p. 5. num. 6. u. 5. u) p. 328. num. 360. n. 7.*

qui non uideat? Nec solum falsa, sed et maxime periculosa est. Homo, qui eam possidere arbitratur, ad meliorem frugem redire non curat, peccata uilipendit, meditationesque de spiritualibus negligit, spem tamen salutis, sub sua hypocrisi, retinet, cuius tandem finis est ἀπώλεια, Phil. III. 19. Neglectum omnino sui cordis scrutinium in culpa esse, uidetur; hoc enim si institueretur, coecitas agnosceretur atque peccatum non maneret, Io. IX. 41. cuius reatu remoto et absente, non posset non adesse animae exoptatissima tranquillitas. Quousque uero peccator in illo somno conscientiae constitutus est, quousque cor suum non examinat, eousque cor illum non condemnat, 1. Io. III. 20. nec ipse quaerit uerum, contra illam condemnationem, remedium, sed manet potius in tranquillitate, quam putat esse ueram, quae tamen falsa est, atque hic non uenit in censum.

§. IV.

Alia adhuc est tranquillitas animae, quae prouenit ex *iustitia causae*, quaeque probe ab ea, quae ex *iustitia personae* oriri potest, est distinguenda. Quae *iustitiam causae*, inquit SCHELGVIGIVS w), conscientia per opera tranquillari potest coram hominibus. Quod *Dauides gloriatur de sua iustitia*, (sunt uerba confessorum in APOLOGIA, x) loquitur de causa aduersus persecutores uerbi Dei, non loquitur de personali mundicie, et rogat causam et gloriam Dei defendi, ut Ps. VII. 9. *Iudica me Domine, secundum iustitiam meam et secundum innocentiam meam super me.* Conf. Ps. XVII. 3. XVIII. 21. XXVI. 1. 6. 11. CXIX. 21. Alibi enim, ubi de *iustitia personae* loquitur, aliter sentiebat, ut Ps. CXXX. 3. Ps. LI. y) Sic *Iobus* ab amicis falso accusabatur c. XXII. 6. sq. sed a conscientia absoluebatur, c. XXVII. 6. Multo aliter autem coram Deo de sua *persona* iudicabat c. IX. 30. *Verebar omnia opera mea.* Quam *iustitiam etiam Paulus* uelit intellectam, Act. XXIII. 1. explicat, 1 Cor. IV. 4. *Ego quidem mihi nihil sum conscius, sed in eo non sum iustificatus, nam Deus me diiudicat.* Quamuis uero hi sancti uiri a se remouerent partim, cuius ab aduersariis insimulabantur, partim, quod ab hominibus iure notari potuisset: non tamen propterea erant iusti coram Deo. Non opus habebant timere, quod ab hostibus sint sup-

C 3

primen-

w) in Synopsi Controuers. Art. XXII. qu. VII. p. 216. x) sc. Aug. Confess. p. 129. sq. ed. Rechenb. y) Conf. quae B. Dannhauerus de inscriptione Ps. VII. habet, atque ex Lutheri Tom. III. lev. fol. 254. in expl. Habac. it. in Theol. Conscien. p. 105.

primendi, et, propter sua facta, a Deo puniendi; et, in eo saltem casu, conscientia eorum erat tranquilla. De iustitia uero personae nullibi eos gloriatos esse, leges, optime enim sciebant, hanc ipsis deesse. Ex dictis iam constabit, hanc tranquillitatem non esse sufficientem, si quidem in una alteraque saltem causa, non autem contra omnia peccata, plenam ac ueram habebant exinde consolationem, quapropter eandem merito hic remouemus.

§. V.

Remota igitur tranquillitate *philosophica* et *fanatica*, quarum neutra possibilis est; remota *putatiua*, quae falso tranquillitas nuncupatur; remota denique conscientia tranquilla, ex *iustitia causae* orta, quaeritur: num uera et sufficiens tranquillitas sit, ex *iustitia personae*, s. ex *lege*, an uero ex *Euangelio*? Quod posterius nos affirmamus, prius autem negamus. Hanc ueram ac sufficientem animae tranquillitatem uocamus *ἀνάπαυσιν* animae, uoce, ab ipso ἀναπαύσεως largitore, Iesu, in oraculo nostro adhibita et supra Sect. I. §. 12. quoad significatum, explicata. Non uero propterea ab aliis recedimus, qui eandem uel titulo beatitudinis animae, conscientiae tranquillae, tranquillitatis, pacis, atque quietis animae, uel felicitatis, aequalitatis, gaudii, securitatis, indolentiae, adquietentiae cer. ornant; in uerbis enim tantum est discrimen, non uero in re. Amat ipsa Scriptura s. modo hanc, modo illam denominandi rationem. Quod Christus ἀνάπαυσιν, id Paullus uocat εἰρήνην, Rom. V. 1. ut et Esaias, c. XVI. 12. XLV, 7. XXXII. 17. LVII. 21. LXVI. 12. Alibi uocatur gaudium in Domino, I. Petr. I. 8. Ioh. XV. 11.

§. VI.

Est haec animae ἀνάπαυσις χάρισμα Spiritus Sancti, credentibus, post iustificationem, concessum, quo immunes ipsi a peccatorum reatu, cruciatibus, et dominio postea, de, nunc iterum, per meritum Christi, reconciliato Deo, intime gaudent atque exinde iam iam praegustu futurae felicitatis fruuntur.

§. VII.

Animae ἀνάπαυσιν uocamus, cum B. CARPZOVIO, z) χάρισμα Spiritus S. h. e. gratuitum donum Dei, quod, propter Christum, nobis datur, quodque, neque ex debito et merito,

z) Societ. P. II. p. 860.

rito, neque ex lege et operibus est. Ex infra dicendis, patet, hanc animae quietem proxime ex iustificatione resultare. Cum autem iustificatio ipsa sit *χάρισμα*, Rom. III. 24. Tit. III. 7. Col. II. 13. Eph. IV. 32. necessario etiam illius effectus eodem poterit, imo, debet, insigniri titulo. Atque hoc genus definitionis, eo magis sese commendat, quoniam, *ἀνάπαυσιν* animae potius statum, quam actionem esse, insinuat. Quod enim ab aliis pax animae, in oblatione gratiae, in iustificatione donatae, ponitur, hoc inde factum esse arbitramur, quod potissimum ad causam efficientem, non uero formalem, respexerint. Quies animae est effectus causae efficientis. Nam accepta iustificatione, inquit B. CASP. LOESCHERVS, a) oblatione credentibus gratia Dei, remissio peccatorum et iustitia, hinc laeta fit conscientia. Dum Christus ait: *ἐγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς*, innuitur omnino actio Christi; sed *ἐυρίσκειν τὴν ἀνάπαυσιν*, est hominis, sese mere passive habentis. Tunc sequitur *ἀνάπαυσις*, quando homo operanti Deo non repugnat.

§. VIII.

Hanc tranquillitatem animae ex solo Euangelio esse, feliciter probari uix poterit, nisi antea nobis constet, quae eius sit forma, quamque habeat causam efficientem. Duo constituunt *ἀνάπαυσιν* animae, absentia taedii et praesentia uoluptatis. In nuda enim immunitate a taedio non est eadem ponenda, siquidem alias et homo securus, cuius conscientia dormit, eadem felicitate frueretur. Taedium, quod abest, erat exortum ex cognitione imperfectionis, quae tamen non aliter fieri poterat, quam omnes actiones ad normam, secundum quam agendum erat, conferendo. Haec norma est lex, tum diuina, (eaeque et naturalis et reuelata, tum humana iusta. Cum uero, in hac collatione actionum cum norma, maxima deprehendatur dissensio, non potest non fieri, ut in anima oriatur taedium. Lex enim non tantum ad obedientiam, sed et ad ferendam poenam propter transgressionem, quae cum lege tanquam motuum connexa est, obligat. *Omnis peccator reatum ad poenam habet. Peccata nunquam impune abeunt*, scribit LVTHERVS. b) Reuelat itaque lex, peccata, quae, dum anima cognoscit, tristatur, angitur, timet. Nec prius potest obtineri tranquillitas, quam hi effectus

a) in *Disp. de effectibus Iustificat. Cap. II. §. I.* b) in *Comment. ad Gen. XXXVII.*

fectus peccati ablunt. Continentur omnes uocabulo taedii. Praecipue uero hoc taedium duplex habet obiectum, peccati sc. culpam atque etiam poenam. Ex illius consideratione, oritur tristitia, angor, moeror; ex huius, timor, et non raro desperatio. Quoad utrumque, puto poenam et culpam, non sublatum est, manet taedium istud. Simulac uero peccata remittuntur, tolluntur, cum causa, simul omnes ingrati effectus. Hinc diximus, quod homo, hoc bonum possidens, liber sit a reatu et cruciatibus peccati. A reatu, dum ipsi commissa crimina non imputantur; a cruciatibus, quia deficit angor, moeror, tristitia. Imo et liber est postea a dominio peccati. Huius taedii uero remotio merito fieri putatur in iustificatione. Non quidem, in eius actu, sed in statu adest demum animae quies; uenit enim post iustificationem. Atque cum homini iustificando duplex incumbat malum, reatus scil. peccatorum damnabilis, atque, hoc etiam remoto, defectus iustitiae, inesse debita; cumque, ad tollendum prius, remissio peccatorum, et ad emendandum posterius, imputatio iustitiae Christi requiratur, non difficile erit exinde colligere, quod et summus iustificationis actus, nempe iustitiae Christi imputatio, multum ad animae ἀνάπαυση conferat. Dum ista nobis imputata est, regitur ab eadem nostra iniustitia, qua reecta, iusti et perfecti sumus, per iustitiam et perfectionem alienam imputatam. Hoc perpendentes, non possunt non maximam uoluptatem concipere iustificati. Inde est illa altera qs. pars formae ἀναπαύσεως animae, nempe gaudium, quod necessario ex felicissimi iustificationis status consideratione fluit. *Ex agnitione enim exhibitae benignitatis et gratiae Dei, initaque reconciliationis, oritur tranquillitas mentis et conscientiae,* sunt uerba B. BALDVINI. c) Quid laetabilius est, quam quidem liberatio a taedio, quod aeternum fuisset duraturum? Nonne ex hoc capite iam iam res euadit clara? Sed perpende ulterius thesauros istos incomparabiles, quos homo in iustificatione accipit. Cum imputatione meriti Christi, donantur ipsi omnia spiritualia bona, per quorum intuitum, quasi uoluptate perfunditur atque placide in Dei uoluntate adquiescit. Per peccata erant *Deus atque homo diuisi*, Es. LIX. nunc uero, dum homo iustificatus est, omne remotum est bellum, inter Deum et hominem, ira deleta, per sanguinem Christi, atque pax restituta per eundem. Breuib: Qui ἀνάπαυ-

c) in *Comment. ad Rom. V. 1.* d) in *Theol. Conf. p. 199.*

ἀνάπαυσιν animae possidet, et liber est a taedio, ex peccatis oriundo, et de iterum reconciliato Deo intime gaudet. Quod gaudium DANNHAVERVS, d) quasi Sabbathicum, fiduciale, plerophoricum, parrhesiasticum, solatiuum et progeusticum futurae beatitudinis consummatae uocat.

§. IX.

Quid mirum itaque, quod nos cum B. DANNHAVERO, e) B. CHLADENIO, f) aliisque, istam animae requiem praegustum pacis, quam adhuc in coelis expectamus, uocemus, cum tantus eius sit ualor, tantaque gratia. Dari talem praegustum futurae felicitatis, patet ex Ps. XXXIV. 8. 1. Petr. II. 3. Ebr. VI. 4. atque consistit ille in gratuita, peccatorum, propter Christum, remissione et iustitia Christi imputata, nec non in quiete animae, exinde resultante, Ps. XXXII. 1. Rom. IV. 6. Neutiquam uero praegustus ille ita extendendus est, ut statuatur, coelum iamiam beatorum existere intra ipsosmet fideles, ut *Barclaius*, *Iac. Boehmius* aliique *Quaekeri* somniant, g) Quod autem putant, idem probari posse ex Eph. I. 17. 18. 2. Cor. III. 18. ideo ad ea loca iam pridem respondit b. NEVMANNVS h) eorumque obiectiones sufficienter discussit. Praegustus sane differt ab ipsa fruitione. Hic tantum Deum per speculum uidemus, hic fide gustamus benignitatem illius et omnia spe possidemus; ibi autem Deum uidebimus a facie ad faciem, 1. Cor. XIII. 12. 1. Io. III. 2. 2. Cor. V. 7. ex qua uisione atque fruitione Dei demum resultabit pax illa dulcissima, quae primum fuit pars imaginis diuinae, 2. Thess. I. 7. Iud. u. 24. Ad hunc futurum σαββατισμὸν Paullus uult, ut semper respiciamus, Ebr. IV. 9.

§. X.

Subiectum huius felicissimi status sunt soli iustificati. Christus quidem omnes ad se uocat, Δεῦτε πρὸς με πάντες, est etiam *Saluator catholicus*, Io. VI. 37. *fons*, omnibus patens, Zach. XIII. 1. Ast, cum in sequentibus uerbis, ἐγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς, ordinem includit, dum scilicet uenitis; multi autem uenire recusant: non omnes, qui quidem ad ἀνάπαυσιν uocati sunt, eadem fruuntur. Qui in se suscipiunt iugum Christi, i. e. Euangelium illius, atque in Christum credunt,

d) in *Theol. Conf.* p. 199. e) *ib.* f) in *Theol. morali* p. 89. g) *Conf. SCHELGVIGII Synops. Art. XXIV. qu. 7. et Art. XXII. quaeft. XIV. in Antith.* h) in *Disp. de spe melioris uitae, Sect. II. qu. 4. p. 39.*

dunt, illi inueniunt requiem animae. Per fidem iustificamur, iustificati autem, pacem habemus cum Deo, Rom. V. 1. Idem confirmat Petrus, 2. Petr. II. 1. Gratia uobis et pax augeantur in cognitione Dei et Iesu Domini nostri, cuius dicti sensum b. CASP. LOESCHERVS ita reddit: *Gratia et pax uobis multiplicetur per fidem, quae est saluifica agnitio Dei, et, quem ille misit, Saluatoris nostri Iesu Christi.* i) Id quod etiam ipsa forma huius quietis euincit, consistens in absentia taedii peccatorum. Qui liber est a reatu atque poena peccati, absit, ut is irrequietus maneat, ut potius dulcissimam animae suae consequatur ἀνάπαυσιν. Homo in peccatis persistens, procul est ab hac felicitate. Viuit enim in statu, in quo Deum adhuc, ut iudicem, suaeque iniquitatis uindicem, considerat. Hic minitatur ipsi motium illud ingratum, legique annexum, se uelle immittere, quo mens maxime terretur atque in summam inquietudinem conicitur. Hinc *impii non habent pacem*, Es. LVII. 21. Quoad *Dauides* talis erat, ipsi erat exclamandum: *non est pax in ossibus meis*, Ps. XXXVIII. 4. Piis contra uera pax obtingit, quippe quae ipsis, per remissionem peccatorum, in Christo donata est.

§. XI.

Totale igitur subiectum est totus homo iustificatus; parziale uero eiusdem anima, et potissimum huius uoluntas. Iudicat quidem intellectus, sed in uoluntate sentitur effectus. Hoc iudicium intellectus exercet, per conscientiam, quo facto, deinde in anima aut quies, aut inquietudo exoritur. Inde uenit etiam denominatio, quae ἀνάπαυσιν animae conscientiam tranquillam appellare solent. Meo quidem iudicio haec denominandi ratio rem non exhaurit, si termini in rigore sumantur. Notat enim conscientia aut scientiam, aut iudicium, quod tamen utrumque ueram animae ἀνάπαυσιν antecedit, non uero eandem constituit. Quibus tamen sic loqui placet, sine dubio, uoces synecdochice uolunt intellectas, ita, ut pro consequente, ponatur antecedens. Neque sic res tota confecta est. Dicenda enim potius foret conscientia tranquillata, quam tranquilla. Interim Theologi, per hanc conscientiam tranquillam, idem intelligunt, quod nos per ἀνάπαυσιν animae, quam ceteroquin nonnulli etiam conscientiam, non quidem honeste, sed pacate bonam uocant. Rectius autem quies animae, ex conscientia bona deducitur, quae communiter per syllogismum quendam

i) l. c. Cap. II. §. 3.

dam practicum, solet explicari, cuius maior est mandatum Dei; minor, applicatio normae ad factum, quae supponit *appositionem cordis*, Hagg. I. 5. *reditum in cor*, Jer. V. 24. 1 Reg. VIII, 46. *iudicium* sui atque *examen*, 1. Cor. XI. 31. 2. Cor. XIII. 5; conclusio autem est applicatio sententiae ad agentem. Bona conscientia semper bene iudicat et hominem a culpa et poena absoluit. Id uero aliter fieri nequit, quam, si lex Euangelio illustrata, maiorem constituat, hoc fere modo: quicumque legis iustitiam habet, nisi propriam, tamen alienam, ille saluabitur. Deinde homo iustificatus, in minore, talem facit applicationem: Ego, credens in Christum, habeo, non quidem propriam, alienam tamen, nempe Christi iustitiam, E. saluabor. Haec tandem conscientia, quae et in Scriptura s. dicitur pura, 2. Tim. I. 3. 1. Tim. III. 9. quia purificata sanguine Christi ab operibus mortuis, Hebr. IX. 14. hominem credentem ponit in illum statum, in quo inuenit *ἀνάπαυσιν* animae suae. Sic quidem primum agit intellectus, cuius est iudicare, non uoluntatis, quod Fanatici uolunt, contra quos lege Magnif. Dresd. Praefulis, atque Patroni mei Grauiſſ. VALENT. ERN. LOESCHERI, Praenotiones. (k) Intellectus cognoscit, tum legem, tum legis finem, sc. Christum; in uoluntate autem est complacentia atque acquiescentia in Christo, quo fit, ut expellantur terrores legis, tristitia de peccatis, angor, moerorque, timor et desperatio. Eorum uero loco, anima gaudet de obtenta, per iustificationem, adoptione in filium Dei, gaudium magnum, suauissimumque.

§. XII.

Iam quaeritur, undenam illa animae *ἀνάπαυσις*? Principaliter eam tribuimus Deo trinuni. Hic enim est fons omnis nostrae salutis atque *pater luminum*, a quo omne donum bonum et perfectum, Iac. I. 18. *Beatus uir, cui Dominus peccata non imputat*, Ps. XXXII. 2. Rom. IV. 8. Paullus apprecatur *gratiam et pacem* a Deo, *pater nostro, et Domino Iesu Christo*, Rom. I. 7. Ad quem locum VARENIVS 1) ita scribit: *tam pax, quam gratia, aequaliter praestatur a SS. Trinitate tota: neque Apostolus dicit: a Deo patre, per Dominum, sed a Deo patre et Domino etc; nec legendum ita, ut Deus dicatur pater noster et Domini Iesu Christi, sed a Deo et Domino.* Tribuitur potissimum Christo in nostro oraculo, non tamen Pater atque Sp. S. debent excludi. Christus quidem est *sola causa meritoria*, non

D 2

non

k) p. 180. praenot. 2. 1) in Analyſi Epist. ad Rom. ad h. l. p. 79.

non tamen *sola efficiens*. Adscribitur *Patri*, 1. *Thess.* V. 23. *Filio*, *Eph.* II. 14. sq. 2. *Thess.* III. 16. atque simul *Spiritui S.* Num. VI. 26. Huc pertinent quoque loca, quae de iustificationis causa principali agunt. Iustificati dicimur, 1. *Cor.* VI. 11. *per Sp. Dei nostri*, hinc omnino ipsi et tribuenda est animae requies, quia, qui causa iustificationis est, simul et huius causa esse debet. Hoc eo minus in dubium uocandum est, siquidem ex scholis Theologorum non tantum, sed ex Scriptura s. quoque notum, quod operationes Dei ad salutem hominum spectantes, specialius Spiritui s. attribuantur. Ministerium uerbi, dicitur *διακονία τῷ πνεύματι*, 2. *Cor.* III. 8. Spiritus s. *arguit mundum de peccatis*; Io. XVI. 8. consolatur uero etiam animas de peccatis poenitentes, hinc dici solet *παράκλητος*, consolator. Hac de causa in symbolicis nostris libris fidem, omnemque exinde resultantem felicitatem, Spiritui s. adscribimus, ut in Articulo tertio: *Credo, me propriis rationis meae uiribus, Iesu Christo, Domino meo, fide- re, aut ad eum accedere ac peruenire nullo modo posse, sed Sp. S. per Euangelium me uocauit cet.* m)

§. XIII.

Agit autem Sp. S. non immediate, ita, ut ex mente Pontificiorum, homini iustificationem, indeque resultantem quietem infundat, sed agit mediate, per uerbum diuinum. Cumque illud uel sit legale, uel euangelicum, ad primariam quaestionem redimus, qua quaeritur, per quodnam efficiatur *ἀνάπαυσις* animae, an per prius, an per posterius? Nos dicimus, eam non *ex lege*, sed *ex Euangelio esse*; ad hoc igitur probandum, producemus, tum negatiuas, tum affirmatiuas rationes.

§. XIV.

Nos, qui, *ἀνάπαυσις* animae ex lege esse, negamus, adhuc duo hic praenotare oportet. Primum, nostra negatio non ad absolutam impossibilitatem tendit. Scimus enim atque concedimus, quod in statu integritatis, quies legalis homini non tantum fuerit possibilis, sed et naturalis. Nullae enim tunc in homine reperiuntur affectuum contradictiones, nulli effectus ingrati, propter perfectam intellectus cognitionem, uoluntatisque sanctitatem. Ex ea ratione affectus etiam ordinati erant, ita, ut homo in perpetua quiete et animi dele-

m) *Catech. min. p. 371. Conf. Solid. Declar. Art. II. p. 663.*

delectatione existeret. *Summa erat*, inquit B. CALOVIUS n) *in homine omnium uirium integritas et cum lege Dei conformitas, summa omnium potentiarum harmonia, sine omni difficultate, laeta et rebellione, adeo, ut totus homo laetus et beatus in Deo adquiesceret, et facillime omne peccatum uitare potuerit cet.* Sed loquimur hic saltem de statu hominis lapsi, ad quem solum nostra definitio quadrat, in eoque dari, apud homines (si excipias Christum) ἀνάπαισιν legalem, negamus. Ἀνάπαισιν legalis nobis est ἀνάπαισιν ex lege, ubi notandum, quod aliquid ex lege sit, uel effectiue uel normatiue. Effectiue ex lege ueniunt u. g. compunctio cordis, contritio etc. normatiue uero bona opera. Haec fiunt, uel ante iustificationem, uel post eandem. Quae ante eam fiunt, non sunt uere bona opera, quia non sunt ex fide; ergo et hic non ueniunt in censum; de posterioribus uero nobis uerba sunt facienda. Sed singula seorsim.

§. XV.

Quod ἀνάπαισιν animae I. non effectiue ex lege sit, probamus.

(a) Quia *lex operatur iram*, Rom. IV. 15. non quidem *per se*, sed *per accidens*, uidelicet quando non seruatur. Lex enim, in se, iusta et sancta est. Ostendit uero hominibus, quae facienda, quae fugienda, atque annunciat peccatoribus iram Dei, cuius repraesentatio mentem prosternit, conscientiamque maxime irrequietam reddit. Bene, et Ecclesiae uox, et Euangelii sentit: Es spricht: Nur freuch zum Creuz herzu, In Gesez ist weder Rast noch Ruh, mit allen seinen Wercken. Hinc APOLOGIA o) ad hunc locum ita scribit: Lex semper accusat conscientias et perterrefacit; atque postea: p) *lex parit iram*. Inculcat idem alio loco: q) *Sic in praedicatione poenitentiae non sufficit praedictio legis, quia lex iram operatur, tantum accusat, tantum terret conscientias, quia conscientiae nunquam adquiescunt, nisi audiant uocem Dei, in qua clare promittitur remissio peccatorum.*

(b) Quia *lex operatur mortem*, 2. Cor. III. 6. *littera occidit*, h. e. uti b. GLASSIUS exponit: r) *lex Dei manifestat occisionem seu mortem spirituales et conuincit hominem, quod sit aeternae morti obnoxius. Facit enim, ut appareat peccatum, atque inde cedit ad mortem*, Rom. VII. 10. Hof. VI. 5. *quia, dum peccatum monstrat, peccatori*

D 3

tori

n) in Syst. Theol. T. IV. de statu integr. p. 470. o) Art. II. p. 66. p) ib. p. 98. q) ib. p. 110. r) in Pbil. S. p. 787.

tori, fit instrumentum, quo ipsi mortis sententia annunciat. Varii quidem sunt citati loci explicationes. Origenes, per litteram, sensum litteralem; per Spiritum, spirituales intelligi. Fanatici, litteram, uerbum externum, Spiritum, uerbum internum denotare dicunt; alii aliter sentiunt: Nostrates tamen recte per litteram, legem, per Spiritum autem, Euangelium intelligunt, ut b. Hunnius, Balduinus, Calouius, s) Seb. Schmidius, Glassius, t) Wernsdorffius. u) Omnes enim effectus, qui huic litterae insculptae lapidibus, u. 7. tribuuntur, sunt effectus legis, quae, cum perfectam obedientiam ab homine requirat, eam uero nusquam inueniat, maledictionis, condemnationis et aeternae mortis sententiam pronuntiat. Conf. Rom. VIII. 2. 1. Cor. XV. 56. Quomodo tibi nunc poteris concipere ἀνάπαυσιν animae in tali statu, in quo nil, nisi mortis terrores deprehendis? Si tamen putares, legem in quibusdam meliorem effectum producere, quia ad uitam data sit; en! et hoc ueritati non est consentaneum. Nam:

(c) Lex etiam non potest uiuificare, Gal III. 21. Rom. VIII. 3. VII. 10. Viuificatio reuera est quaedam regeneratio, quia ex filio irae fit filius Dei et hoc modo e morte in uitam transfertur, Eph. II. 5. Rom. I. 17. Hab. II. 4. w) Cum autem hanc uitam lex non possit efficere, sed potius ex numero praeced. 2. mortem annunciet, nec potest ex lege tranquillitas animae sperari. Quicquid enim nos tranquillare debet, id, ut nobis nil, nisi accepta grataque referat, necesse est.

(d) Si finem legis spectas, nostra quoque assertio stabit. Praecipuum enim officium et ἐνεργεια legis est, ut peccatum originale et omnes fructus eius reuelet, et homini ostendat, quam horrendum in modum natura eius lapsa sit etc. Hac ratione perterrefit etc. x) Rom. III. 19. 20. IV. 15. Gal. III. 10. sq. Nec potest aliter fieri, quam, cum homo peccata ex lege agnouit, ut terreatur, angaturque, Ps. VI. 3. 2. Sam. XXIV. 14. 17. Es. VIII. 13. Act. XXIV. 25. Lex enim, inquit b. FEVSTKINGIUS, y) offendit, arguit, accusat et damnat; impietatem atque iniustitiam, h. e. omnia, ad primam et secundam legis tabulam peccata, manifesta et occulta, s. rationi incognita, tum eorum atrocitatem, iraeque et iudicii diuini aduersus ea rigorem

com-

s) in Commentariis ad. b. l. t) ib. p. 1427. u) in Diss. de Metamorphosi Christiana, p. 8. w) Solid. Declar. Art. p. 686. It. Art. V. p. 711. x) Ars. Schmalcald. Art. II. p. 319. Conf. Art. VI. y) Diss. de leguli sub peccatum conclusionem, p. 17.

commonstrando, terret conscientias, ut ergastulis quasi conclusae, et an-
gorum uinculis constrictae, in toto terrarum orbe non inueniant lo-
cum, quo tutae et securae conquiescant, sed iam in aeternae damna-
tionis barathrum detrusae haud raro sibi uideantur. Quo maius
itaque peccatum est, quod lex reuelat, eo maior etiam est inquietudo
cordis. Quoduis autem peccatum est Deicidium, ut DANNHAVE-
RVS z) loquitur, aestimatur enim ex persona, quae laeditur. Tan-
ta crimina mordent atque excruciant. Istaе passionēs uero excitatae
per legem, non influunt ad salutem. Tantum ergo absit, ut lex
conscientiam conterritam, reddere possit tranquillam, ut etiam plus
contristet ac in desperationem adigat. Per legem enim, uti LV-
THERVS dicit a) peccatum fit excellenter peccatum.

(e) Denique, lex plane nescit Christum, cum tamen haec quies
in Christo sit fundata. Iustificati enim, pacem habemus, per Domi-
num nostrum I. C. Rom. V. 1. Ideo non possumus per eam a pecca-
to liberari ac iustificari, sed data est promissio remissionis peccato-
rum et iustificationis propter Christum, qui datus est pro nobis. b)
Profecto, Iudaei quaerebant tranquillitatem animi, sed eam non pote-
rant inuenire; hinc Christus eos ad se uocat, quippe in quo omnis
salus, Act. IV. 4. X. 36. Quia igitur lex hunc ἀναπαύσεως fontem nescit,
tranquillare animam non potest.

§. XVI.

Quanquam haec omnia uerissima sunt, prouti omnino cum Scri-
ptura satque LL. SS. conueniunt; suos tamen habent aduersarios. Ii
enim, qui legem nimium extollunt, eique, qui saltem gratiae tribui so-
lent, effectus adscribunt, eo ipso, dum salutem ex lege deriuant, ex
eadem, nisi apertis uerbis, tacite tamen, tranquillitatem animae de-
ducunt. Notandi igitur hic essent omnes, qui, aut opera ad salutem
quam maxime necessaria esse, urgent, aut in tradendis mediis ad salu-
tem et ἀναπαύσειν animae, ad fidem operosam confugiunt, quos au-
tem infra §. 18. 19. citatos inuenies. Quando interim HERM. WIT-
SIVS, dolorem de peccatis et contritionem, ut conditionem quandam
disponentem, antecedere iustificationem, asserit, id refutat ZACH.
GRAPIVS. c) Huc spectat simul M. GODOFR. VOCKERODT,
qui consternationem super peccata et contritionem essentiam iustifi-
catio-

z) l. c. P. II. p. 262. a) in Praef. Comment. ad Galat. b) Apol. Art. II. p.
67. c) in Theol. recens contr. abs. p. 24. sq.

cationis, vel ipsius fidei iustificantis, formaliter considerandae, ingredi dicebat; ex eo autem recte a SCHELVIGIO d) notatus. Legem primitus datam esse, ut formulam foederis et gratiae, eamque nos a peccatorum iugo liberare, putat IO. COCCEIVS, cui non sunt contrarii PETER. ALLINGA atque IO. VLACK, qui clarissimis verbis, legem non ad iram, sed ad gratiam referendam esse, pronunciarunt e). Eiusdem sane farinae est BIELFELDIVS, legem Christum monstrare, asserens (f).

§. XVII.

Neque ἀνάγκη anima II. *normative*, ex lege est, uidelicet, Bona opera non possunt eam ordinare et dirigere. Nam

(a) id patet ex impotentia, legem seruandi. Lex est iugum importabile, Act. XV. 10. Homo irreginitus est mente *coecus*, I. Cor. II. 14. Eph. IV. 18. uoluntate *rebellis*, Gen. VI. 5. Rom. III. 12. ut non possit facere bonum, Rom. VII. 18. imo *mortuus*, Eph. II. 5. Col. II. 13. Nec regenitis possibile est, *seruare legem*, in rigore suo, Act. XV. 10. Rom. VIII. 3. Gal. III. 2. Id quoque credentes ipsi *fassi sunt*, Ps. XIX. 13. CXXX. 3. CXLIII. 2. Rom. VII. 14. I. Cor. IV. 4. (g) Quae ergo hinc possit potentia legem seruandi elici, non uideo. Quare alibi, non ex nostra impletione legis quaerenda est iustificatio, ut conscientia fiat tranquilla. (h)

(b) Bona opera sunt imperfecta,

(α) tum, ratione *quantitatis*. Requiritur enim obedientia cordis, oris et operis in subiecto. Non sufficit, quod obedientia sola in externis factis et sola lingua conspiciatur. Tota mens, tota uoluntas, omnes affectus, uires, tum superiores, tum inferiores, Deo subiectae esse debent, Deut. VI. 5. Matth. XXII. 33. 2. Cor. X. 5. Si obiectum respicias, omnia praecepta sunt seruanda, Iac. II. 10. II. Deut. XXVII. 26. Iam, ubi est homo, qui possit dicere, *purificauimus animum meum, a peccato meo, mundus sum?* Prov. XX. 9. Non est homo, qui non peccet, Rom. III. 12. 23. Dum igitur lex diuina, aut perfectam omnium mandatorum obseruantiam requirit, aut maledictionem imprecatur, Gal. III. 10. non possunt non exhorrescere, qui uel semel deliquerunt.

(β) tum

d) *Suppl. Syn. contr. Art XX. p. 113.* e) *ib. p. 51 sq.* f) *in Disp. de duplici Christi cognitione, Thes. 8.* g) *conf. LL. SS. p. 83. 144.* h) *Apol. A. C. p. 92.*

(β) tum ratione *qualitatis*. Etiam opera regenitorum sunt, sicut uestis impura, Ef. LXIV. 6. Etiam *in seruis suis non fedit*, et *in angelis suis inuenit exorbitationes*, Iob. IV. 10. sq. Lex semper accusat nos, etiam in BB. OO. Semper enim caro concupiscit aduersus spiritum. Quomodo igitur hic habebit conscientia pacem, sine fide? i) Quicquid est immundum et imperfectum, illud non potest hominis animam tranquillare. *Est quidem bonae conscientiae obiectum*, inquit HVLSEMANNVS, k) *aut materia etiam iustitia, sed inchoata saltem et imperfecta, quae conscientiam NON omnino TRANQUILLAT, nisi a posteriori, tanquam signum praecedentis remissionis peccatorum, quod diserte Apostolus fassus est, 1. Cor. IV. 4.*

(γ) Dum itaque BB. OO. sunt imperfecta, plane inidonea sunt, ad tranquillandam animam, indigent enim adhuc misericordia. Haec res nota, sunt uerba Apologiae, l) *atque habet plurima et clarissima testimonia in Scriptura s. et ecclesiasticis Patribus, qui uno ore omnes praedicant, nos etiamsi habeamus BB. OO. tamen in illis misericordia indigere.*

(δ) Quia porro Christus pro nobis legem impleuit, eo satis declaratur, nos non potuisse eam implere, Matth. V. 17. sq. Rom. X. 4. Gal. III. 13. Rom. VII. 14. Eph. II. 1. Quid opus esset fide, perfectam Christi obedientiam, loco imperfectae impletionis, apprehendere, si homo ipse perfecte obedire posset? Iam uero *fides ideo successit*, Rom. VIII. 3. Id autem et ideo factum est, ut nos, qui propter nostras defectiones tranquillitatem animae habere non poteramus, per Christum tamen, fide apprehensum, eandem consequeremur. Christi iustitia nobis imputata, causatur *ἀνάπαυσις* animae, ut adeo nobis nostrisque operibus nihil sit tribuendum. *Hättest du dir was können erwerben, was dürfft ich denn für dich sterben*, canit inde ecclesia, in persona Christi.

(ε) Tandem neque per BB. OO. iustificamur. Quod si uero uerum est, quod per BB. OO. non iustificemur, omnino etiam uerum est, BB. OO. nihil ad tranquillitatem animae conferre. Prioris ueritas constat ex Rom. III. 20. *per opus legis*, (sc. moralis, quia uniuersaliter ad omnes extenditur, ex qua ue-

E

ni

i) *Apol. Art. III. p. 128. conf. p. 98. 87.* k) *Man. A. C. Disp. XVI. p. 891*
 l) *Art. III. p. 129. 132.*

nit peccati agnitio, quaeque est perpetuae obligationis, ita, ut per Euangelium non tollatur) *nulla caro iustificatur*, Rom. IV. 5. *ei, qui non operatur, sed (solum, addit Syrus,) credit, fides imputatur ad iustitiam.* AMBROSIVS in h. l. quinquies, signatis uerbis, ait: *Abraham non ex operibus legis, sed sola fide iustificatus est.* m)

§. XVIII.

His dictis BB. OO. patroni male erunt contenti, ad quos fere omnes, quotquot professione doctrinae a Lutheranis sese distinguunt, quin et Nouatores, in ipsa Lutherana ecclesia degentes, referendi sunt. Iactant enim non tantum Pontificii, Caluino-Reformati, Socinianique BB. OO. merita, sed Nouatores quidam etiam pretium illorum nimium extollere satagunt, fidem et opera semper coniungentes. Testimonia huius rei passim in eorum scriptis prostant. BELLARMINVS, Lib. IV. de Justif. c. 10. dicit, *legem Dei regentis absolute esse possibilem*, et Lib. III. c. 23. inquit: *Non timemus asserere, posse iustificatum, gratia adiutum, et legem implere, et ea implentione uitam aeternam mereri.* Atque hoc non solum, sed et alibi n) asserit, *hominem plus posse facere, quam Deus praeceperit*, igitur multo magis posse implere legem. Idem docet CONCILIVM TRIDENTINVM o) et CATECHISMVS TRIDENTINVS. p) Non potest autem non ipsis inde haec uera uideri conclusio, quod anima, ex propria iustitia, tranquilletur. Quam male autem consulant conscientias hominum, exinde pater, quia hoc casu homo semper dubitare debet, an debitam mensuram obedientiae habeat? Potest et debet iustificatus, ex eorum mente, implere legem, quid nunc faciendum, si mens obseruet multa adhuc uitia? nonne sic ad desperationem adiget, quia non potest saluari, deficiente impletione legis? Interim ipsis non desunt rationes atque colores, quibus suas hypotheses stabilire conantur. BELLARMINVS, q) prouocans ad Matth. XI. 29. I. Ioh. V. 3. dicit: *Haec uerba indicant, legem Dei esse iugum, quod facile portatur, et mandata eius paruo negotio custodiri.* At enim uero, prius dictum non de lege morali, sed de doctrina Euangelica, cum cruce coniuncta, agere, euicimus supra, Sect. I. Posterius

m) T. V. OO. ed Basileens. uid. SCHERZERVVS, in Syst. Theol. L. XVI de Iustif. p. 431. Conf. FORM. CONC. p. 684. 691. 693. 704. n) Lib. IV. c. 13. o) Sess. VI. p) p. 490. q) Lib. VII. c. II. de obf. legis.

sterius autem agit de fidelibus, qui cum uoluptate Deo obediunt. Id tamen non asseritur, quod legem possint plene implere, sed per uires, in regeneratione a Spiritu Sancto acceptas, eiusque cooperationem, facile ipsis est parere, licet adhuc multi adsint defectus, qui tamen, obedientia Christi perfecta, fide imputata, teguntur. Dum porro obiiciunt; impossibilia non obligare; legem autem, cum omnes obliget, certe possibilem esse debere seruatu: respondemus, quod legem seruare in se non impossibile sit, quod ipsa Christi impletio satis declarat. Culpa uero hominum, lex seruatu impossibilis facta est: Ex eo interim Deus suum ius non amisit, requirendi ab omnibus impletionem. Nec ea propter dici potest tyrannus, postulat enim id, ad quod cuique sufficientes dederat uires, quas corruperunt. Ad suam ceteroquin, ex lege et operibus deriuatam requiem stabiliendam, Pontificii peccata extenuant, atque, per ignorantiam legis excusari posse, putant, ut GREG. de VALENTIA; r) peccatum originis non esse proprie sic dictum peccatum, nec concupiscentiam uerum esse peccatum. BELLARMINVS s) dicit: *Non est ueri nominis peccatum ipsa titillatio, etiam cum delectatione coniuncta, nisi consensus mentis accedat.* Inde hinc facile quoque probare possunt BB. OO. perfectionem. Nos docemus, praeunte Scriptura sacra, iustificationem non esse ex operibus. Id uero aduersariis minime probatur. Pontificii, hominem per infusionem gratiae iustificari, tradunt, quo ipso iamiam opera immiscentur. Iustificat enim sic Deus, *propter inhaerens aliquid, propter inhaerentem gratiam, per quam simul gratiam sanctificationis et renouationis intelligunt.* Potissimum quoque iustificationem tribuunt *caritati.* PEIRERIVS, Iesuita, dicit: *tantum abest, ut sola fides iustificet, ut potius CARITAS praestantiores partes iniustificatione habeat.* t) Concilium Tridentinum u) anathema proponit iis, qui solam fidem iustificare, statuunt. Quae BOSSVET, w) profert, mitiora quidem sunt, sed later anguis in herba. Dolendum modo, quod MELODIVS haec dogmata excusare intendat. Talibus assertis minime Pontificii meritum Christi laedere uolunt; quicquid autem dicant, istis tamen quam maxime impletionem legis, per Christum factam, labefactant, imo eandem

E 2

cum

r) T. II. Disp. II. qu. I. fol. 173. sq. s) Lib. V. c. 6. t) in Comment sup. Gen. XV. Abraham hat Gott geglaubt. u) Sess. VI. can. 12. w) in Expositione Fidei Tridentinae.

cum Calvinianis negant. x) Dum EPISCOPIVS, y) omnia uiuae ac foecundae BB. OO. fidei tribuit; C'RCCELLAEVS, z) semper debere considerari fidem, tanquam cum BB. OO. coniunctam, utrisque tribuendam esse iustificationem; HOTTINGERVS, a) assensum, amorem et fiduciam, constitutiva fidei; HORNEIVS autem atque CALIXTVS, opera ad salutem necessaria esse, dicit; b) quid aliud faciunt, quam, quod operibus nimium tribuant atque ἀνάπαισιν animae ex lege esse, affirment?

§. XIX.

Melioris frugis non sunt ex Nouatoribus multi, fidem operosam, in quouis salutis negotio, urgentes. Sane omne τὸ practicum s. operosum spectat ad legem. Horrenda propemodum sunt, quae passim apud eosdem leguntur. Exclament multi, atque cum iisdem MELODIVS, controuersiam, de fide operosa, logomachiam esse; hoc tamen maxime exinde apparet, misellum hominem salutis negotio sese immiscere percupidum esse. (c) De Dni. SPENERI quibusdam locis diu quaesitum est; ne nunc multa de asseclis dicam. Dn. FRANCKIVS (k) iustificationi praemittit crucifixionem carnis. FREYLINGSHAV. SENIVS (e) nunquam fidem sine operibus existere, ponit. Quomodo D. LANGIVS, RAMBACHIVS, LYSIVS, SCHAEFFERVS alique, circa hanc rem sentiant, id inuenies in Magnif. PRAESIDIS *χρησμού* Pauli iustificatorio. (f) M. ANDREAE ACHILLIS definitionem fidei exhibet SCHELGWIGIVS, (g) sc. der wahrhafftige Glaube an Christum, sey derjenige von Gott befohlne Gehorsam des Herzens, da man sich zu Christo befehret, denselben in seinen Herzen auf- und annimmt, und sich ihm ergiebet und anvertrauet, daß man in ihm von Sünden gereiniget, geheiliget und seelig werde. De Dn. LANGII uero definitione fidei, qua illam in notitia, desiderio et acquiescente fiducia consistere, dicit, dispexit B. IANVS; h) sicuti et omnia, quae specie quadam, pro adstru-

x) uid. DORSCHAEVS, in Theol. Zach. P. II. fol. 158. sq. y) Resp. ad Qu. LXV. OO. Vol. I. P. II. p. 16. z) Instit. Relig. Christian. L. VII. c. IX. OO. Theol. p. 468. sq. a) Typ. Doctr. Christian. p. 527. sq. b) CALOVIUS. in Consensu repet. lat. p. 61. 63. sq. c) Magnif. PRAESES, in Diff. de dignitate ad uitam aeternam, p. 6. d) Obs. in aliquor. Scr. loca p. 49. sq. e) Entdeckung der falschen Theologie, p. 173. f) Diff. II. p. 70. sq. g) Suppl. Syn. Contr. Art. XX. p. 102. h) In Resp. ad Ioach. LANGII Obiect. contra Theol. Aph. NEVMANNI, p. 37. 49. sq.

adstruenda fide operosa, afferri queunt, erudite Magnif. PRAESES L. c. discussit. i) Has aduersariorum opiniones, cum nostris assertis pugnare, Scripturaeque contrariari, quibus facile uidet. Si enim *caritas* et *opera* ad iustificationem concurrunt, omnino etiam ad *ἀνάπαισιν* animae concurrunt, quippe quae ex illa proxime resultat, atque cum ea easdem causas habet; nec erubescunt, idem aperte profiteri. Dn. D. SPENERVS, in tract. von dem Frieden Gottes, multa media affert, quarum tamen plurima ad opera pertinent. k) Idem exemplum *Mosis* et *Samuelis* Christianis Magistratibus commendans, tandem concludit: Wer also lebt, der kan mit gutem Gewissen aus der Welt scheiden; l) quae uerba, dum non de iustitia causae, sed personae loquitur, SCHELVIGIVS m) itidem obseruat.

§. XX.

Nunc tandem aggredimur probationem, qua *ἀνάπαισιν* animae ex solo *Euangelio* esse, euincitur. Notat etiam hic particula, EX, medium, per quod Spiritus S. agit. Idem tranquillat per *Euangelium*. Hinc

1.) Illud audit *Euangelium pacis*, Eph. VI. 15. quia uidelicet laeto suo nuncio: *tibi sunt remissa peccata*, pacem efficit. *Euangelium* est, docente sic SCHERZERO, n) *annunciatio gratiae, in Christo fundatae*. Gratia enim omnis per Christum parata est, ex cuius plenitudine nos omnes accipimus gratiam pro gratia, 1. Io. I. 16. sq. quae gratia includit, a Christo factam, *legis impletionem*, Rom. X. 4. ab eius maledictione *liberationem*, Rom. VIII. 1. Gal, III. 13. *peccatorum remissionem*, Rom. III. 24. sq. Quicquid uero pavidas mentes consolatur, quicquid fauorem et gratiam Dei transgressoribus offert, hoc proprie est, et recte dicitur, *Euangelium*. o) Ideo non erit pax ossibus meis et tuis, nisi audiamus uerbum gratiae, et constanter et fideliter huic innitatur, tunc conscientia certo consequitur pacem. p)

2.) Pacem s. tranquillitatem animae, per solum Christum, in Christo, habemus, Rom. V. 1. inde *princeps pacis* dicitur, Es. IX. 6. Conf.

E 3

Luc.

i) Per totam Diff. III k) uid. Christi Lutherische Vorstellung Art. XX. Pos. IX. p. 192. sq. l) Conc. Funobr. P. III. 365. sq. m) Suppl. Syn. Contr. p. 123. sq. n) Syst. Theol. p. 282. o) Solid. Decl. p. 715. p) LVTHERVS, T. V. OO. Lat. p. 279.

Luc. II. 14. Eph. II. 14. et quae supra Sect. I. §. 4. diximus. Hic est, qui omnibus acclamat: ἐγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς, atque Io. XIV. 17. *pacem relinquo uobis*, coll. u. 12. 13. Es. LII, 7. Rom. X. 5. Christus uero non, nisi in Euangelio, inuenitur, hoc enim est concio de Christo, quare et nomen *Euangelii Christi*, Rom. I. 16. adeptum est, quia de Christo, eiusque beneficiis agit. *Summam Euangelii esse*, CHRYSOSTOMVS dixit hanc: *Dei Filium factum hominem, propter nos crucifixum, resurrexisse*. Optime hic sentit CALVINVS, quem DANNHAVERVS q) excitat.

3.) Soli credentes habent et inueniunt ἀνάπαυσιν animae, quod supra §. 10. ostensum. Fides uero non est ex lege, sed ex Euangelio, Rom. X. 5. 17. III. 21. *Quare*, sunt uerba piorum Confessorum, r) *conscientiae non possunt reddi tranquillae per ulla opera, sed tantum fide, cum certo statuunt, quod propter Christum habeant placatum Deum*. Eam ob rationem LVTHERVS s) quam maxime commendat doctrinam de fide. *Es lieget mehr, inquiring, an der Lehre des Glaubens und guten Gewissens, als an der Lehre guter Werke*. *Sintemahl, ob gleich die Werke fehlen, so ist Hülffe und Rath, daß man sie kan anrichten, wenn des Glaubens Lehre fest und rein bleibet*. Atque fidei sane tribuendum est, quod solatium in cor nostrum demittatur. Fide amplectimur Christum. Fide eius iustitia fit nostra, tunc nos nostra conscientia non potest accusare propter defectum iustitiae. *Fides itaque, adstipulatur Apologia, t) resistit terroribus conscientiae, erigit et consolatur perterrefacta corda*.

4.) Euangelio etiam adscribitur iustificatio atque regeneratio, Rom. I. 17. I. Petr. I. 23. I. Cor. IV. 15. Quod, cum uerum sit, uerum quoque est, quod ex solo Euangelio sit ἀνάπαυσις animae, cui tandem

5) accedit, quod Euangelio salus aeterna adscribatur, cuius praegustus haec animae requies est, Iac. I. 21. A& XI. 14. I. Cor. I. 18. I. Petr. I. 9. Rom. I. 16. Conf. supra §. 12.

§. XXI.

Equidem, quos §. 18. 19. citauimus BB. OO. patronos, in hac etiam assertione nobis sunt contrarii. Possent autem adhuc quaedam desiderari, quae hic lubet addere. Concedunt nobiscum Pontificii, solos credentes

q) *Theol. Conf. P. I. p. 196.* r) *Aug. Conf. Art. XX. p. 17. It. Apol. Art. II. p. 78.* s) *Contra coelest. Proph. OO. Lips. T. XIX. p. 157.* t) p. 108.

dentes habere *ἀνάπαισι* animae; sed aliam tamen plane formam fidei sibi concipiunt. Distinguunt, inter fidem *formatam* et *non-formatam*; illa, per caritatem, formata est; haec, in nudo assensu, qui praebetur dogmatibus ecclesiae Romanae, consistit, quam quoque iis adulteri atque fures habent. Nobile sane genus fidelium inter Pontificios! Futilem istam distinctionem habent a scholasticis; LOMBARDVS, *fides, inquit, si cum caritate sit, uirtus est, quia uirtus est mater omnium uirtutum, quae omnes informat.* BELLARMINVS u) dicit: *caritas est forma fidei, fides non iustificat formaliter, nisi u caritate formata.* Quae Concilium etiam Tridentinum w) docet. Nullius autem momenti sunt, quae BELLARMINVS, ad suam corroborandam sententiam, ex Iac. II. 20. et Gal. V. 6. accersit. In priori enim loco, fides mortua est fides putatiua, quae reuera nulla est, adeoque Iacobus requirit fidei effectum, non uero formam. In posteriori autem errat, cum errante *Vulgata*, siquidem ea uerba, non passiuè, sed actiue reddenda sunt. Semper in negotio salutis fides et caritas ueniunt distinguenda. Fides est ex Euangelio; sed caritas ex lege; fides accipit beneficia oblata; caritas reddit officia in lege praecepta. Haec aliquando probe perpendens BELLARMINVS, x) fatetur, quod *fides iustificans pacem et tranquillitatem animi pariat*, Rom VI. 1. sed fides specialis, quam Calvinus doceret, perturbationem et desperationem afferat. Solet idem non raro fieri, quod quandoque ipsis ueritatis hostibus aperiantur oculi, ut uideant ueritatem, sibi que ipsis contradicant. Falsus enim alibi y) fuerat, non posse hominem in hac uita habere certitudinem fidei de iustitia sua, quae tamen maxime ad requiem animae requiritur. Cum quo in hoc capite BRESSERVS, Loiolita, consentiebat z) asserens, conscientiam hominis catholici non posse esse serenam. Missam faceremus male sanam doctrinam aduersariorum, nisi huc simul spectaret citatio ridiculae exceptionis IO. COCHLAEI, a) negantis, fidem sufficere ad conscientiae quietem, quia Apostolus diceret I. Cor. XIII. 3. *etsi omnem fidem haberem etc.* Argutum sane argumentum malae causae, quasi ex contextu non appareat, Apostolum loqui de fide miraculosa. Verba A. C. ad quae sic excipit, loquuntur de pauidis conscientiiis, quae opera habent, et tamen non in illis quietem inuenire possunt. b)

§. XXII.

n) Lib. II c. 4. de Iustif. w) Sess. VI. x) Lib. V. c. 10. de Iustif. y) Lib. III de Iustif. c. 3. z) Lib. III. de Consc. c. XIII. f. 199. a) in Discuss. Art. XX. Apol. p. 312. b) uid. CARPZOVIVS, in Isag. LL. SS. p. 519.

§. XXII.

Si excipere uelles, non posse ueniri ad ἀνάπαυσιν animae, sine lege, lex enim est paedagogus ad Christum. Respondetur, quatenus lex requiritur ad conuertendum cor, et ad cognitionem peccati facit, eatenus requiritur ad tranquillitatem animae. Requiritur autem tantum antecedenter. Non habebis sanitatem, nisi prius fueris ad agnitionem uulneris tui perductus. AVGVSTINVS, ad Rom. XI. 32. ita commentatur: *Quod praenaricatores legis inuenti sumus, non ad perniciem, sed ad utilitatem ualuit iis, qui crediderunt; Cognitione enim maioris aegritudinis, et desiderari medicum uehementius, et diligere ardentius.* Est ergo omnino lex paedagogus ad Christum, Gal. III. 24. dum ad cognitionem peccatorum, miseriaeque perducit. Sicuti autem agnitione, uulnus neque curatur, neque emendatur, nisi accedat remedium ualidum, ita etiam per agnitionem peccatorum, quam efficit lex, non restituitur ἀνάπαυσις animae, nisi adsit fides, quae eum, qui peccata tulit, et pro eis satisfecit, amplectitur atque in eo placide acquiescit.

§. XXIII.

Status forsan, in quo demum tranquillitas locum habet, iustificationis, patrocinatur operibus? Minime. Nam, utor uerbis CARPZOVII, l. c. fides, quae tranquillat conscientiam, non est solitaria et BB. OO. destituta, id tamen negamus, quod ex fide, quatenus non solitaria est, sit tranquillitas conscientiae. Hinc et in Papatu, in agone mortis, multi, inter quos etiam Carolus V. et Maximil. II. operibus renunciarunt. c)

§. XXIV.

Ceterum, haec quies non est, absoluta, sed saltem inchoata, conf. Sect. I. §. 10. et Sect. hanc II. §. 12. Notanter id expressimus, ubi eandem, in absentia taedii, propter reatum et poenam exorti, non, in plenaria eradicatione omnis peccati fomitis, consistere, diximus. Manet adhuc in regenitis originale peccatum, quoad existentiam, licet, et quoad reatum, et poenam, ablatum sit. Inde uenit difficilis illa carnis et spiritus lucta. Sed, per hanc non tolli animae ἀνάπαυσιν, exinde patet, quia fide omnes hostes, diabolus, carnem atque mundum, superamus, uictoriamque deportamus, 1. Io. V. 4. sq. Queritur Paullus de inhabitante peccato, exclamat: *Quis me liberabit?* Sed laete finit: *Gratias persoluo Deo, per IESUM Christum.* Peccatum se habet in regenitis, ut hostis, sub pedibus nostris, qui quidem sese mouet, sed nihil contra nos efficere potest, quia sub nostro exsistit dominio. Est igitur haec tranquillitas constans quid, et, mediis in aduersitatibus, cruce, imo morte etiam, duratura, licet interdum sensus illius deficiat, propter fidei infirmitatem, satanae peruersitatem, pios tentantis, carnisque nostrae, quotidie peccantis, imbecillitatem. d) Concludimus, tandem uerbis HIERONYMI: e) *Volumus et nos pacem. Et non solum uolumus, sed et rogamus. Sed pacem Christi, pacem ueram, pacem, sine inimicitis, pacem, in qua non fit bellum inuolutum, pacem, quae non ut aduersarios subiiciat, sed ut amicos iungat.*

S. D. G.

c) ib p. 519. d) uid. Casp. LOESCHERVS, l. c. c. II, §. 4. e) Epist. 62. ad Theophil.

Coll. chiss. P. 138, 41